

R.N.  
81,  
30.

(X190 4031)

208

II n  
6740

C A U S A

Ob quas

CAROLUS GUSTAVUS  
SUECIÆ REX

*Serenissimum Principem ac Dominum*

Dominum

JOANNEM CASIMIRUM  
REGEM POLONIÆ

ET

SUECIÆ HEREDITARIUM

*Bellô adoriri coactum se profitetur*

BREVES & PRÆLIMINARES

breviter

Limatæ & eliminatæ

BIBLIOTHECA  
PONTICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



1656

Anno Domini MDCLVI





**N**E mireris lector, si fortè Præliminares & vagæ Suetici furoris Causæ (si modò ita eas vocari fas est) à lima Polonica castigatæ lenitiùs ad te perveniunt. Nam ut domesticâ adhuc feritate horridæ atque impolitæ à limine veræ sinceræque lucis passim aberrabant; ita ne nunc quidem, quamvis affabrè elimatæ & supra votum suum expolitæ, ad conspectûs & æstimationis publicæ limen luménque emitti valdè merebantur. Antea enim contemptui ac vanitati suæ relinqui poterant.

*Ita sunt inaniis repletæ & araneis.*

& sic indignitate ipsâ, & falsitate ac maledicentiâ facilè repellebantur & refellebantur. Jam verò ne credas nos illis pretium & dignitatem addidisse, ut pretiosiores & honestiores, tam bellè ornatæ prodirent. Sed quemadmodum cum furunculis aut latrunculis blandè alicubi transigi solet, eas strictim veluti stigmatis & notis insignitas, sicque hoc quasi com meatu instructas leniter eliminari, vel (ut humaniùs cum iis ageretur) evadere permisimus. Ac ne hâc quidem

207 Opella dignæ erant, ideoque deliberationi mo-  
ram à principio aliquantulum injiciebant; quam  
postea augebat officinarum in tota vicinia ter-  
giversatio, quæ atramentum & prælum, ope-  
ramque omnem denegabant; Aliæ quidem me-  
tu, & nescio quò periculò excusationem prote-  
gentes, aliæ facinora & successus Sueticos favo-  
re, & applausu prosequentes, nihilque contra  
disciplinæ suæ collegas in publicum è suis tor-  
cularibus prodire permittentes. Ne tamen de  
impudentiæ felicitate, aut vulgi assentatione  
gloriarî Advocatus Sueticus perpetuò posset,  
perruptis discussisque obstaculis, ei in causis suis  
exponendis larvam, quâ sibi placebat, interdum  
detraximus, alibi verò qualem meruit injeci-  
mus; ne vel hic nisi graphicè exornatus incede-  
ret, vel illic falsò excultus comptusque falleret  
aut illuderet. Interim si quæ voluit quæq; libuit,  
libero ore effutiit, non mirabitur, si vicissim  
quæ nolit, quæque non libet, audiet. Tuum est,  
sincere lector, non quid tardius, sed quid justius  
veriusque, & quod publicâ ac Regiâ fide, nec  
non obligatione atque honore dignius est, ad  
animi & censurę tuæ candorem admittere. *Vale.*

# Ex Pactis Polono Sueticis

## ARTICULUS. XXII.

**D**urantibus ac currentibus hisce Induciis, agatur de pace perpetua, loco & tempore, Interventūque Principum mediatorum, de quibus inter partes, curā ac diligentia Illustrissimi Ducis Curlandiæ, convenerit. Ita tamen, ut si tractatus pacis perpetuæ semel aut iterum non successerit, firmæ nihilominus & inviolabiles maneant Induciæ, usque ad exitum Pactis hisce præfinitum.

## Ex iisdem pactis.

### ARTICULUS. XIX.

Quod si quid gravius inciderit, quod violationem Pacto-  
rum concernere videretur, dentur utrinque Commissarii,  
qui loco aliquo ad fines Livoniæ assignando conveniant,  
& controversias exortas sopiant decidantque.

\* 3

Ex

*Hæc pacificatione comprehendantur ex parte Serenissimi Imperatoris, omnes suæ Majestatis fœderati & adherentes. Imprimis Rex Catholicus, Domus Austriaca, Sacri Romani Imperii Electores, Principes, intèrque eos Dux Sabaudia, cæterique Status, comprehensâ liberâ & immediatâ Imperii Nobilitate, & Civitates Anseaticæ. Item Rex Angliæ, Rex & Regna Daniæ Noruegiæque cum annexis Provinciis, ut & Ducatu Schlesuicensi. Rex Polonia, Dux Lotharingiæ, omnèsque Principes, & Respublicæ Italia, Ordinèsque Fœderati Belgii &c.*

In-

# Instrumentum Limitationis

207

In primo congressu Lubecensi mediante  
Christianissimi Regis Legato confectum.

**C**Um juxta Induciarum pacta Stumdorffiana Anni 1635, hortantibus etiam communibus amicis, Principibus ac Rebuspublicis, Celsissimoque Duce Curlandiae rem promovente, in Consilio pacis perpetuae inter Reges Regnaque Poloniae & Sueciae stabilienda eoque ventum fuerit, ut praefixo tempore à Christianissimo Rege, primario Mediatore, cum ipsis Regibus, tum & caeteris Mediatoribus, Commissarii utrinque delecti sub finem proximè praeteriti Veris cum Christianissimi Regis Consiliario secretiore & ad hos tractatus pacis Legato plenipotentiaro Illustrissimo Domino Petro Chanut in loco acceptato convenerint, factumque sit, ut in ipso dehinc aditu conventus difficultates quaedam subortae moras objicerent, unde susceptum apparatu multo negotium eò prolabi jam instante hyeme videbatur, ut re prorsus infecta, & penè non tentata, discessio fieret; Indignum utroque foret, si praeter expectationem tanta molitio ad utriusque gentis concordiam & emolumentum instituta caderet incassum, suadente praesertim Christianissimi Regis Legato, & fidem interponente, quod cum frequentibus colloquiis sincerrimam in utriusque partis Commissariis faciendae pacis ac ineundae amicitiae voluntatem deprehendisset, spes certa melioris eventus affulgeret, ejusque promovendi gratia, media quaedam ab eodem Legato proponerentur. Nos sub libera Ratihabitione Serenissimae Reginae Dominae nostrae Clementissimae consensimus & convenimus, ut congressus hic noster secundum supradicta Pacta Induciarum reassumatur ad vicesimum diem mensis Aprilis Stylo veteri anni 1652. proximè instantis, quo praefigente Christianissimo. Rege eadem

¶ eadem tractatio pacis inchoabitur & concludetur, spatio duorum mensium, Maji scilicet & Junii, quo emenso liberum erit utrique parti à Conventu abscedere, illæsis induciis, quamvis negotium nondum sit ad finem perductum, nisi ex mutuo consensu terminus iste fuerit prorogatus. Et quò planior expeditiorque fiat tractandi ratio, ubi cœptum fuerit futurum istud colloquium per continuatam Christianissimi Regis mediationem, eodem quo suscepta est studio à sua Majestate eademque diligentia & integritate, qua per supra memoratum Legatum est administrata, procurabitur medio tempore, ut quæ hæctenus causæ hujus Conventus progressui obsuere, tollantur, ipsiusque disceptationis materia, quo fieri dabitur modo, tractabilior evadat. Hanc verò conventionem & sponsionem, ita demum valere volumus & vim habituram intelligimus, si quemadmodum eam in supradicti Legati Domini Chanut manibus concredimus, sic etiam par omnino conventio & sponsio huic nostræ ex æquo respondens à parte Poloniæ apud dictum Dominum Legatum deponatur ab Illustribus, Illustrissimis, Magnificis & Generosis Dominis Legatis Polonicis. In horum fidem præsentem literas manibus nostris subscripsimus & sigillis nostris firmavimus Lubecæ XII die Mensis Octob. Anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi primi

Johannes Adeler Salvius L. S.

Schering Rosenhan L. S.

Johan Wachmeister L. S.

Laurentius Canterstein L. S.

Exemplar originale conventionis hujus suprâ scriptæ depositum est in manibus meis ab illustrissimis Dominis Legatis Sueticis in eo nominatis hîc Lubecæ die 12. Octob. St. N. anno MDCLI.

Chanut L. S.

Ego Secretarius Poloniæ Legationis accepi ab Illustrissimo Domino Christianissimi Regis Legato apographum suprâ scriptum Lubecæ die & anno quibus supra.



# Limatio seu Eliminatio

Causarum Suscepti

à

## CAROLO GUSTAVO

Contra

## JOANNEM CASIMIRUM

Poloniæ & Sueciæ Regem hæreditarium Belli.



Veteri & Mimico proverbio incipit calumnia Suetica, quia à novo & syncero Veriverbio incipere non potuit. Et sic quidem à veteri more non recedit Suecia; Ubi tam facile est Reges è Regno dejicere, quàm Romæ sub Tarquiniis papaverum capita decutere. Domi tamen ferè hoc solùm antea levitas aut ferocia audebat; nunc foris verò, sub alio nomine, tanquam licito, (quod mox prodetur) novus è Suecia Rex sibi fas esse contendit, ut aliena Regna rapiat aut diripiat; atque ut specimen aliquod, non tam juris quàm *necessitatis* habere videatur, catapultariâ voce *coactum* se ad hoc profitetur. Putares Herculem ab Eurystheo ad Reges & monstra expugnanda compulsus. Interim Causarum quarundam larvas, veluti feciales Sueticos, è variarum criminationum cavëis præmisit; ipse mox tanquam furia secuturus. Furore enim ex impatientia concepto, in bellum & arma raptum se agnoscit, & prædicat; quod alii nemini dicere liceret; Digno certè belli apud Suecos Auctore. Et sic facile etiam Causarum posthac æquitas, sanitasque si qua fuisset, in principio statim vulnerata & corrupta, se pariter & insaniam prodit. Quid ergo sani aut synceri in causis hujusmodi esse potest, ubi furor solus, causa

A

tota

men-  
rti à  
it ad  
roga-  
btum  
Regis  
mque  
dmi-  
bujus  
ma-  
con-  
bitu-  
omini  
onfio  
inum  
Ge-  
teras  
becæ  
primi  
  
m est  
romi-  
  
omino  
die &



Georg:  
Trifa-  
rol: in  
refata-  
tione  
Skytii.

tota solaque belli fuit? Crederes Lapithas & reliquos Centau-  
ros è Pindo & Othry repente irruisse. Sed nihil novi furorem  
esse, in parte familiæ Regiæ Suecorum, peregrina pariter, &  
domestica illic historia testatur: Ericum enim Gustavi prioris fi-  
lium natu maximum, duo fratres Principes publico scripto incu-  
sârunt, damnaruntque; quòd furendo sæviendoque Proceres  
quosdam Regni, aut suâ, aut alienâ manu trucidârunt, quodque  
ipso fratres, carcere & ignominiâ, & seipsum infami-conjugio,  
atque aliis ludibriis deformârunt: Nec furorem hunc, nisi carcere  
vicissim, & forsan peiori fato expiassè secretior rumor tradidit.  
Alium quoque fratrem germanum Magnum nomine, obvia hi-  
storia memorat, perpetuis ferè furiis actum, ideoque claustris &  
vinculis coërcitum, ne citò totus periret. Et de tertio fratre quid  
dubitamus, Caroli tantùm Sudermanni nomine, antequam Re-  
gnum raperet, noto? quippe quem fratris Regis filios duos, re-  
gni hæredes proximos Regno spoliassè, tantùmque sanguinis no-  
bilis & plebeji fudisse audivimus aut legimus, quantum nullam  
tyrannorum classem in Suecia profudisse, annales Suetici tra-  
dunt. Sed & tunc furorem ejus regaliter emicuisse, Rex Daniæ  
solenni scripto prodidit; cùm is præter morem omnium ætatum  
& Regum Sueciæ, Septemtrionalium Lapponum Regem sese ap-  
pellavit, scripsit, jactavit; quorum tamen nullam Urbem, nullam  
civitatem, rarissimos pagos, vel incertas & mutatorias tantùm  
sedes, monstrant tabulæ septemtrionales; quique omnes simul  
conglobati, ne particulam quidem Regni conficere possent, quo-  
rùmque maximam Danus partem suam esse contendebat. Sed has  
tam generosas muscas bellè bello excussit, simulque septem-  
trionem falsum, & veram quandam Sueciæ partem, aliquamdiu  
ei ademit, vel excussit Danorum Rex. Et hujus Caroli nepos,  
sed ex deteriori sexu, ne meliora sperare liceat, est hodiernus  
Sueciæ Rex; qui (quod alii Reges non fecerant) se palàm profite-  
tur *furere*. Cum tali itaque res nunc erit, cum hoc disceptandum  
nunc, agendùmque, cui *patientiam furor*, comparendi & defen-  
dendi se facultatem, jura omnia legesque negant & adimunt; nul-  
lùmque

211  
lúmque in foro aut iudicio libero & legitimo locum relinquunt. In jure certè communi, publico, & civili hoc manifestum est, quod quidem in Suecia cum reliqua civilitate non admitti ajunt; Imò XII. tabulæ, è Græciæ severa antiquitate conscriptæ, & omnia postea Jura legésque alibi, ne suas quidem res administrandi furiosis permittunt facultatem. Unde ergo tam liberi & confidentis *facinoris* privilegium ac gloriam, gloriosum Regem accepisse, & vindicasse sibi putamus? aut à qua auctoritate tam *Regalem furendi* licentiam assumpsisse credimus? à *veteri* inquit *verbo*: & quod illud? *patientia læsa fit furor*. Sed cur *vetus* & obsoletum elegit? quia nullum novum, idoneum facinori suo invenit. An quia *vetus* in familia furor? Cur verò furiale potiùs quàm modestum quæsit? quidni ideo, quia nihil modestè acturus erat? maluit ergo è scena & theatro turpitudinis, inter

*mimos obscena jocantes*

quærere, quod in Academiâ, aut Stoâ, vel Socraticis tabulis nusquam reperisset. Mimus enim erat & servus, & Syrus Publius *Verbi* hujus auctor, cui ad fabulam peragendam popelli applausus satis erat. Sed neque in sacris, neque in Regiis usquam aut illustrium Virorum verbis, dignius se, & facto suo regio *Verbum* Rex cum tota Schola Suetica invenit, verùm eò angustiarum redactus est, ut docentes, vel

*imitantes turpia mimos,*

in tam magno & excelso negotio Magistros, atque Doctores solos haberet. Quantò graviùs & innocentius ille Principem instruxit, qui *Verborum* intemperantiam non ex Majestate regiâ esse docuit; Muliebri verò esse, furere in ira monuit. Sic tamen reperto assumptoque furore tanquam jure vel oraculo se Rex ille tueretur, publicèque Cæsari, Regibus, ac Rebuspublicis, generique humano persuadere conatur, se, dum *impatiens* est, dum *furit*, dum insanit, ritè, rectè, justè agere; & sinceras verásque Causas habere, *enumerare*, vulgare. A tali itaque quid expectas

Seneca  
Lib: 1.  
de Cle-  
mentia

A 2

lector?

lector? fané-ne aliquid, vel aliud, quàm quod à *furibundo vel furioso* procedit? quod nomen ipse sibi, vel *Causarius* & defensor ipsius, ei induit. Nam à furore quid potest nisi furiosus deduci? Et quamvis è domesticâ seu Pomeranicâ officinâ caprimulgus aliquis, aut Vertumnus mercenarius, adulatrici interpretatione, veluti butyraceo unguento *Verbi* atrocitatem mollire voluerit: furorem Germanicè, *grim* / vertendo, nunquam tamen vel gry quidem, minùs erit *furiosus* quàm *unsinnigh* / *wittigh* / *rasende* / qualem factò Rex ipso egregiè se præstitit: Nam idem & accusator, & testis, & iudex, & exsecutor, & Unus omnia est, simulque queritur, arguit, damnat, plectit, & dolo, vi, ferro flammis grassatur; Depopulationibus, carceribus, exiliis, & vastitate Provinciarum, templorum, oppidorum, pagorum, Nobilium cædibus, deprædationibus, captivitatibus etiam contra fidem datam, aut malignè monstratam promissamque sævit. Hoc quidem plus est quàm *furere*. Nam si id agit ut Polonia fiat sua, cur

*vult esse nullam?*

vel ubique afflictam, exhaustam, oppressam? profectò nisi furiosus *nemo sic vastat sua;*

An ideo quoque defensionis suæ capita illa captiosa, trunca, cassa, *Causas* tantùm vocat, quia justas ut vocaret, hoc elogium addere non potuit? Sed & *breves* appellat, & revera sunt; quia ad veritatem nusquam pertingunt, licèt Herculeo gradu, aliquandiu incedere sibi videatur. Postremò & præliminares vocat, nam ne limen quidem justitiæ attingunt: Nempè & canes catenarii limen non intrant, sed foris latrant. Cæterùm quidquid rei sit, quidquid & ipse sit, non severiùs examinantes, audiamus inquam *Causas*, & (si Diis placet) rationes, sed tanquam furiosi, quod unicum præ cæteris nomen *Causarius* Regi suo veluti clypeum elegit adeò illum

. . . . . *solus jam præstare potest*  
*furor insontem.*

quia fortè apud molliores Juris interpretes legit; *furiosos* ob delicta

cta non puniri: oblitus, eos pœnâ non eximi in enormibus crimi-  
nibus, qualia sunt pactorum violationes, & illa quæ paulò antè  
enumerata sunt.

In Prima itaque **Causa**, ne de furore dubitemus, vivus mor-  
tuos incurfat, vexat, lacerat. Olim Plancius aliquis, cum mor-  
tuis non nisi larvas luctari dixit; ita nunc Regem suum viventem,  
in Vladislâum ante aliquot annos defunctum, Causarius immittit,  
committitque; quod ne quidem Neronis aut Caligulæ arena vi-  
dit, tantò palâm hîc, ipso furiarum regno iniquior; Ubi mortui  
tantùm ad mortuorum tribunalia delati judicantur. Poterat &  
hîc larva esse, prout larvatus in causis incedit, nisi *furiosus* esse  
maluisset, talem ergo finamus esse, ne examen & refutationem,  
indignâ fatigemus curâ. Sed & ne obscurum esset, unde cum  
causa longinquus Causarius & peregrinator advenerit, ex in-  
feris Botthium quendam adducit, quem ait, Non potuisse  
cum militaribus copiis, inscio & invito Vladislao Rege  
Poloniæ, tot Provincias & Ducatus Regni pervadere ad  
infestandam Livoniam. nec satis est; sed certis documen-  
tis constare illum à Vladislao instigatum, ferociter adjicit  
& confuse, ut furiosi solent; omniâque conturbat, nec falsa  
aut vana à veris distinguit: Cur enim sigillatim & candidè non  
exprimit, quis ille Botthius (jam in cognomine suo quodam-  
modo fatuus) fuerit, & à quo mandatis, armis, copiisque &  
sumptibus instructus, aliquò pervaserit? Cur non fatetur eum  
Cæsarianum Ductorem, Cæsarisque auspiciis ac stipendiis,  
militem, si quem habuit, collegisse, adduxisse, in rem Cæsaris  
procurasse, tentassèque armorum diversionem, ut Sucticæ fortè  
militiæ partem è Germania detraheret, virésque imminueret?  
Cùm ergo Cæsarianus minister & tribunus fuerit, Cæsarisque  
consiliis, jussibus, usibusque operam dederit, quâ specie,  
aut quâ fronte Causarius, Vladislâi eam instigationibus ad-  
scribit, & attribuit. Itâ-ne Cæsar & Vladislâus idem? Germani  
& Poloni iidem? aut cur non audet Cæsarem, & Cæsariana insi-  
gnia

curioso  
fius,  
iam-  
quis,  
eluti  
orem  
dem,  
qua-  
or,&  
ueri-  
rassa  
ovin-  
ibus,  
aut  
is est  
  
osus  
  
assa,  
dere  
erita-  
ince-  
m ne  
men  
quid  
ffas,  
cum  
legit  
  
deli-  
cta

gnia vel imperia nominare? Nempe facilior adhuc res est cum  
 Polonis solis, domestico externoque bello impeditis, omisâ  
 interim aut suspensâ contra Cæsarem fiducia, aut rabie, nisi forte  
 pactis Germaniæ cum Succis impeditur. Quasi verò Germania &  
 Cæsar non etiam Poloniæ Regem & Regnum, imò ipse Succus  
 pactis adscripserit, & comprehenderit, quæ si in his non servat, sed  
 tam apertè violat, quomodo illis servabit, si occasio, aut furor  
 similis provocaverit? Quid deinde certi & proprii incrementi  
 accessisset Vladislao, si Botthius Cæsari Rigam & Livoniam ad-  
 junxisset? præsertim si in Germania Magnus Teutonici Ordinis  
 Magister, titulum, jusque seu prætensionem, sibi retinere, ac  
 vindicare non omittat. Aliter tamen Causarius innuere videtur,  
 cum hæc subjicit. Proinde nec à veritate alienum est, ha-  
 buisse tum temporis Lithvanos exercitum ad manum,  
 quo recuperarent Livoniam, exercitu tunc & præsiidiis  
 destitutam, si propositum Botthio ex voto successisset.  
 Sed facile se ipsam confutat calumnia; nam si exercitus *aliquis*  
*Lithvanicus* ideo paratus erat, sicque Rex Botthium instigabat;  
 quare illum seu partem illius exercitus in auxilium non submisit,  
 aut submitti non permisit? præsertim si ex tali submissione, &  
 successu parati auxilii, sperabatur, aut parabatur Livoniæ recu-  
 peratio? Anne enim Vladisläum hoc exercitu, & hæc occasione  
 instructum, credimus *instigationem* deserturum fuisse? Quid deinde  
*Lithvanis exercitu suo* armatis optatius, aut gloriosius accidere  
 potuisset, quàm amissæ Rigæ & Livoniæ vel dedecus abolere, vel  
 jacturam sarcire, sui que commodi fortunam apertam atque invi-  
 tantem profsequi, & facile atque utiliter exsequi? quod tunc in  
 promptu, & ad manum (ut loquitur Causarius) fuisset, si ad hoc  
 vota, spes, cupiditatem, vires, nempe exercitum habebant; tantâ  
 rerum opportunitate laceffente & promovente? Itaque cum hæc  
 nimis clara ac manifesta essent, & calumnia ultra omnis proba-  
 bilitatis speciem ascenderet; languescente non ultrò impudentiâ,  
 ad minimum Lithvanos auctores Botthio fuisse, monstro-  
 sâ

215  
sâ voce asseverat. Siccine enim hoc minimum est, maximi scilicet facinoris auctores esse, quo penè abrepta est Sueciæ Livonia. Auctores tamen quomodo Jurisconsulte Suetice ex Matella Baldi probas? Quia inquis, ubi prohibere voluissent Lithvani, potuissent. Itâne auctoritates magnas, & capitales, probari leges Sueticæ docent? aliorum pudet afferre; Nam vestras quis novit aut vidit, ubi nutu, suspicione, jussûque Principum crimina etiam atrocissima, usque ad furcas & patibula probari, cruenta historia prodit? Interim quoniam ad minima redactus es, vir minimi precii, *ad minimum* ostende, quibus omnino pactis, aut quâ verborum necessitudine, quove erga se beneficio Lithvaniæ Ordines obligatos evincas, ut ii exercitus pro Suecis instruant, alant, educant; ad illorum hostes, suo periculo vel sumptu *impediendos*, ubi enim tales Induciarum conditiones? ubi hæc amicitia vel obligationis mutua, aut Lithvaniæ cum Suecis fœdera conscripta, pignoraque data atque accepta, publicæ tabulæ habent? Dolo & scelere vos Livoniam Lithvanis abstulistis, & tu vis, ut ii vicissim loco gratitudinis, & bene meritæ mercedis legiones conscribant, propriisque stipendiis foveant, ad Livoniæ insidiatores reprimendos. Astringe validius ori frontique larvam, ne per convitia & figmenta totus pudor tibi exeat, si modò quis adhuc superest.

Simile quid etiam Polonis antea vanissimo impulsu imputasti, quod mihi fortè per absurda aviâque te persequenti exciderat: Nam iis non tantùm scientibus, verùm etiam impellentibus hoc accidisse, desolatissimo argumento arguebas, eò quòd scilicet, per literas Suetici Senatores, apud Senatores Poloniæ questi, nihil solatii retulerint. An tu quoque ab eo tempore

*inconsolabile vulnus, Mente premis tacitâ?*

Sed dic, quid tuo animo ægre est, ut frigidam affundam. Solatium verò de facto alieno, quod debebant vobis Poloni? aut quod mittere poterant? imò quid juris tunc illis in *Botthium* esse potuit, si

is

216 8  
is in potestate vestra erat? Tàmque vilem vos eum quare habuistis, quem tot facinoribus noxium, tam leviter dimisistis, vel abire permisistis? aut cur tam otiosè & negligenter tot damnorum (ut prætendis) patratores custodistis? Non est hoc moris, aut genii Suetici, ut tam leviter malè facta erga vos, & injurias remittatis, sicque evadere finatis. Venit quidem è Suecia Gorgonius aliquis Varfaviam cum literis & querelis ad Senatores in aula Polonica constitutos; Is hospitio & humanitate promptè honoratus, literæ etiam amicæ acceptæ lectæque publicè sunt. Omnibus ignota & inaudita antea erat Botthii non tantùm machinatio, sed & nomen ipsum; Nec Gorgonius complicem aliquem, vel conscium, multò minùs impulsorem, *nedum consensum Ordinum*, sine quo nulla res momenti alicujus auctoritatem in Polonia habet, profiteri, vel edere, aut insinuare potuit. Responsum ergo retulit plenum æquissimæ purgationis & innocentia; quid enim aliud ab innoxia auctoritate referri vel exposci poterat? Sed & in Lithvania Dux Radzivilius campi (ut vocant) tunc Marsalcus, commissionem utriusque nationis, secundùm pacta institui à Governatore Rigensi postulavit, qui tamen ipse accedere noluit, sed alios delegavit, qui re libere syncerèque discussâ, palàm declarârunt ac testati sunt, ex ipsius Botthii confessione constare, Ordines Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, immunes esse à *molitione* ipsius, licèt nebulam malè indutæ suspicionis de conscientia Regis Vladislai non statim decusserint; quippe quam Sueticus sol brumalis decoquere, aut disjicere nondum poterat, nam hyems fortè erat &

*gelido concretus frigore sanguis*

non sinebat rationales & ingenuos spiritus ad cerebrum ascendere.

Piget diutiùs in Botthii hæerere fabula: Post illam tu Parem rationem irruptionis Crocovianæ in Pomeraniam vocas subnectisque; parem *vanitatem* volebas dicere, & hanc paritatem non negamus; ut tamen Polonos reos facti Crocoviani facias, irruptionem averti à Polonis potuisse astruis, nisi ii *Pome-*

*raniam*



9  
277  
*raniam devastatam voluissent.* Si de voluntate sola nugaris, & intimos quoque Polonorum affectûs Suecis obligatos, atque obnoxios, magnâ & singulari tuâ voluntate vis, nimis delicatæ humanitatis es. Non putabamus certè nos tam familiares & conjunctos esse vobis, ut velle & nolle idem ambobus populis esset. Sed & Polonos potuisse hoc velle, & Crocovium avertere cum octo millibus irrumpentem, quomodo fidem facis? Nam ut pares illi avertendo essent, quanto exercitu opus fuisse censes? Is verò unde repente, aut quibus ex causis antea paratus erat? Pro eximia fanè verecundia tua, talem hîc fingere non es ausus: Quibus denique meritis hoc vobis deberi persuades, ut Polonia suis impendiis instructos exercitus habeat, ac limites vestros defendat? Aut quoties hoc repetendum est, nullo jure, nullis pactis, vel officiis vestris, ad hos animos, ad hæc incommoda, & sumptus præstandos, Poloniam vobis inscriptam, & oppignoratam devinctamque esse. Quodsi Procerum aliquis Unus, dum suis aut cognatorum amicorumque prædiis metueret, neque satîs virium ad resistendum Crocovio militariter haberet, ab eodem vel obfides, vel fidem, aut pignus securitatis, humano more petiit, privatus hic metus, curaque seu industria fuit: Neque adeò tamen is irrumpendi libertatem dedisse videri potest, prout nec dare potuit. Atque ita qualecunque hoc factum ipsius, neque Regi, neque Ordinibus Regni imputari potest. At reditum Crocovio refugo prohibere debebant Poloni, si culpâ vacare voluissent, Suecis utique id petentibus: vel saltem iis denegare haud facilè debebant, ut ipsis quoque per Poloniam persequi liceret Crocovium, quod quia non fecerunt, manifestum Polonorum, hostilem erga Suecos animum exinde deducis. Sed an Poloni *Crocovium reditu prohibere* debuerint, vel potuerint, non hîc repetam, quia jam satîs antè declaratum est, cum de illo avertendo ac etiam Botthio impediendo, actum est; nihil horum vobis deberi; Et in Crocovio

B

præ-

præstari non potuisse, in Botthio non debuisse. Vos autem *petiisse* aut vobis *petentibus denegatam facultatem persequendi per Poloniam Crocovii*, quia in publica aut certa notitia, non satis constat, neque tu clarè doces, à quibus Polonis talem facultatem habentibus petierint, vel repulsam passi sint Sueci, ne mirabere, si ignota & absurda nemo comprehendere, vel assequi planè queat! Nomina Regem Ordinésque Regni si potes? si non potes, quare *hostilem ideo animum*, eúmque manifestum Regi Ordinibúsque assignas, & eam ob causam bello persequendos declaras, adeò dictatoriâ auctoritate instructas, ut nihil minùs tibi liceat libeátque, quàm olim Sullæ, vel si quis postea plus ausus est? Tormenta verò aliáque auxilia, publico scitu concessionéque è Pucensi fortalitio, vel aliunde submissa Crocovio, quia in re tam sonora nullus præter te audivit, vel scivit, tibi quoque quamvis Stentore clamosiori, nemo credet, & ideo refutatione sonantiore, aut clariore non dignabor; nam tormenta illa, quæ somnias, fortè bombi Cassubici fuère, ad quos te remitto.

Interea dum Polonis hostilitatem, ob denegata vobis contra Crocovium officia, affingis, cur de humanitate, & beneficio, aliàs vobis præstito, de quo queri Cæsar etiam potuisset, cur inquam tam malignè obliviosus aut mutus es? scilicet rerum omnium, quæ neque unquam fuère, neque futura sunt gnarissimo, ignotum aut leve saltem visum est, ac silentio toto dignum; quòd cum Bannierus vester Generalis in terga recedens, & Cæsaris tunc validiora arma declinans, partem copiarum uxori fugienti circumdedisset, tunc tempore inquam tam periculoso, hanc uxorem ejus refugium in Polonia petentem, toto cum militari præsidio Palatinatus Posnaniensis comiter admiserit, & hospitaliter acceperit, ac deinde per Poloniam honorificè deduci curaverit? Adeò beneficia non computatis, maleficia etiam fingitis, aut pro beneficiis redditis. An verò vos Sueci soli omnes gentes ac nationes, omnia facta & benefacta vobis adesse & servire vultis, & sic *impeditiones, aversiones, prohibitiones hostium*, vobis obsequi, exercitûs etiam, ubi nulli sunt, deberi vestris nutibus contenditis; & si id  
non

non promptè properéque fiat, tales pro hostibus habetis; Ita Vos Trojugenæ vobis ignoscitis: in aliis omnibus omnia accusatis, punitis, etiam dum indebita & impossibilia exigitis. Illud jam à te non quæram, quare Crocovium Cæsarianum fuisse Ductorem taceas, quia antea in Botthio similem dissimulationem detexi discussique. Nam si in Cæsare Crocovii irruptio oblitterata est, ob pacta pacis Germaniæ vobiscum confirmatæ, oblitterari quoque à te Poloniæ accusatio debebat; Namque & Poloniam ibi comprehensam monui.

Post hæc jam terra tota & continens omnis fingentem conturbantemque te deficit, simulque

. . . . . *deficiunt artes, deficiuntque doli.*

Ac propterea maria & fluctûs, ubi turbida omnia, invadis. Quomodo illic ad Insulam OEseliam appulsus sis non quæro, scio quàm res tempestuosa sit mare. Si in Cretam ejectus fuisses, nec Græciæ hodie ac ne sacra quidem auctoritas de mendace dubitarent. Sed nec sic quidem malè cretizas; adeò grandiora & atrociora omnia vero, illic confingis. Ais enim OEseliam regiis è Polonia machinationibus tentatam, & ad defectionem Ordines OEselianos cum impeditioe cessionis Danicæ sollicitatos à Vladislao IV, licet nihil Juris in illam Insulam toto tempore, quo sub Dano erat, prætenderit. Sed hæc tibi unde animi caligo & magna oblivio rerum? Illo enim tempore etiam ne Vladisläus in mundo fuit? cui enim alteri verbum illud prætenderit applicas? An quàm longam linguam calumniator habet, tam longum ævum Reges habent? De jure tamen, quod tu subtriciisti, cur non licuit Vladislao prætendere, vel tentare aliquid, quando jam Insulæ status mutaretur, & de novo ageretur præjudicio? Neque enim sub Dano ab altissima & continua vetustate Insula illa fuit, neque perpetuo vel immutabili jure ad illum devenerat: Sed cum Livonia continuis Moschorum irruptionibus conquassata, resistendo amplius non esset, & aliqui incolarum aliis vicinis, Magister verò ipse Ordinis, supremus & legitimus totius Pro-

Epime-  
nides, &  
ex eo S.  
Paulus.

Joan.  
Hac:  
Pont.  
Hist.  
Dan.  
lib. 8.  
pag. 341.

vinciæ Dominus, protectioni Regum Regniq̄ue Poloniæ totaliter se subjecisset; OEselia quoque pars fati violenti facta est. Nam Episcopus ejus Joannes Munghausen, pactâ & acceptâ certâ pecuniæ summâ Regi Daniæ, seu fratri ejus Magno eam tradidit: Ordini tamen & consequenter successori legitimo Ordinis jure Reëmptionis servato ac derelicto: Prout etiam in altero vicino Curonensi Episcopatu accidit cum Castro & territorio Piltensi. Quapropter cum Vladislâus intellexisset id agi tractarique, ut OEselia à Dano ad Suecos transferretur, veluti imploratus & non violentus Ordinis successor, & Livoniæ multos per annos optimæ fidæi possessor, misit statim Bergium Cubicularium suum, qui oblatâ constitutæ olim pactæque pecuniæ summâ, ageret de suspensione cessionis, sive intromissionis in Insulam, donec per interpositionem Regis Galliæ, vel alterius, aut ipsâ æquitate monente, aliquid aliud liberum & non obligatum, Suecis à Rege Daniæ daretur. Sed cum Insula Suecis potior alieno Jure esset, & bolus hic insatiabiliter illis placeret saperétque: Protestatio sola nudâque insinuata fuit, quâ illud caveretur, ne nova & dispar Suecorum à Danis possessio Juri Reëmptionis seu potioritatis (ut vocant) quicquam præjudicaret, neve illud hâc mutatione penitus tolleretur obruereturque, & sic facultas omnis redimendi, simul silentio oblitterata interiret. Neque hoc pro *solicitatione ad defectionem* censeri haberique solet, sed passim protestatio talis, citra Jurium quorumvis damnum licita est, licitéque admittitur, nisi ubi vis & injuria prævalet. Ut verò gratis aut vi ullâ omnino Insula ad Vladislâum transfiret, aut per sollicitationem violentam Suecis eriperetur, tunc literis nudis & chartacæ contestationi tribuis, dum Græco sono tumidum Diploma, Græcule hoplomache, eam vocas? poma aurea, quàm Diploma ad corrumpendos Ordines efficacius dixisses; vel arma, vires, classem, aut etiam militem ad hunc paratum instructumque habuisse, & unâ immisisse Vladislâum, cur ad fidem faciendam dicere non es ausus; sine quibus defectio strui aut sperari non potuisset? Præterea cur de negotii totius & Insulæ conditione, atque aliis circumstantiis, quibus

OEselia

13  
274

OEselia obnoxia erat, cur inquàm magis mutus es, quàm mutum est mare, seu maris Norvegici asellus siccissimus; quamvis aliàs in calumniando, vocalior sis quàm Asinus Arcadicus, & tympano Helvetico sonerior? Nimirum aliter, haud quaquam tibi promptum erat, hominibus rerum longin quarum ignaris fucum facere. An nisi sic quoque Regis tui *Causa* juvari, fucarique, aut non aliter Regia esse potuit?

Brevis deinde tibi ex Oeselia saltus in Livoniam per mare angustum fuit; levissimus enim est mendaciorum trajectus, quæ tibi pro velis, remisque fuere; Sed & sic Naufragus atque ab omni veritate nudus appulisti, adeò ut ne tabulæ quidem ulli insistas, in qua ostendere queas, tentatam in Livonia subditorum Sue-  
ticorum à Rege Vladislao fidem, & *tamen id* haud incertis testimoniis constare *incertissimus testis* asseveras. Si tu cum Ulysse illo mendacissimo, similiter Naufrago ad Phæacas abjectus fuisses, certè multò audaciùs tu Læstrigonas, Cyclo-  
pas, Mono-

. . . *Aeneos fratres cælo capita alta ferentes*  
& fabulosa alia quæ

. . . *Ithacus nullo sub teste canebat,*  
effingere & commemorare potuisses; Poëta tamen Latinus, non  
*Tam vacuum capitis populum Phæaca putavit;*  
ut talia crederet. Tu nunc omnes lectores *causarum* tuarum stupidiores Phæacibus autumas; ut tibi fidem habeant, qui in tanta testimoniorum incertitudine, (ut gloriaris) in tanta impudentia, quam profiteris, ne Unius quidem testimonii larvam adducere potueris. Cùm itaque nullum neque diem, neque annum, neque sæculum, nullumque hominem testem, etiam ex vicino furno seu tabernâ *Æstonicâ* nominare queas, ignosce, si tibi intestato nemo credat, neque injurato. Nasica enim non es, quamvis probè nasutus, neque Cato unquam fuisti; Catonis tamen, quem aliter orcum vocant, non indignus, ubi falsos testes, testiculorum damno puniri crediderim. Sed neque juratò tibi facile quisquam, extra Scenam vel Orchestram Sueciæ credit, qui jura omnia sup-  
primens aut pervertens,

si Nero tuus jubeat.

Oläus  
Magn.  
lib. 3.  
c. 15.

Breviter ergo projecto in medium insolenti mendacio, nec probato, quasi pueret, quod tamen apud te insolens est, è Livonia te proripiens, ceu nodi Lapponici abreptus turbine, quò furiosissimè navigari Nobilissimus portentorum, & vester historicus prodit, repentè in *Dania* constitisti, mox aliò atque aliò, paleæ æstivæ pulvisculo levior abripiendus. Si Cymbria Daniæ pars Cymmeria esset Regio, non mirarer tenebras te inde offundere; Cæterùm sic quoque tenebras, sed fugacissimas captas, quia mox per compendia cæca, ne luce prodaris, diffugiens: Non defuisse, ais, cum Rege Daniæ tum temporis alieniore, ut & cùm Arnheimis, ac Baudisio molitiones in perniciem Sueciæ, quæ singula referre longum foret, & à proposito compendio alienum. Non à compendio, sed à veritate alienum dicere debebas. Sed ubi tu non à proposito veritatis alienaris, quam semper postponis ac rejicis? verè Plutarchus! *compendiaria res est improbitas, virtus longa*, tibi longinqua fanè, quia tamen ita vis, quàm potes maximè,

*Tam verba confer maximè ad compendium*

ne deprehendaris; quia falsitatem prodere mora solet. Cur verò alieniorem, non addens cuinam, Regem Daniæ dicis? si vobis; meritò de injuriis à vestra eï ferocia illatis taces, & hoc quoque compendium est. Quòd si tamen Regis illius *alienationem* erga vos, rumorum loquacitas etiam in Poloniam attulit, eùmque contra Sueciam aliquid moliri vel meditari vicino murmure increbuit. Quidni Vladislaus de suo in Sueciam hæreditatis Jure timeret? Vel cum tam potenti hoste Sueciæ, cur non cautum ac provisum vellet, si liceret? Hunc enim meminit esse, qui antea Caroli Sudermanni convitiis ac malefactis laceffitus, in Sueciam armis irrupit, gravissimis damnis afflixit, ac penè abripuit; longè certè latèque diripuit, ac vastavit. Quam si idem tunc aggrediretur, eamque suo & veteri Regum Daniæ more odiòque invaderet,

deret, annon difficilior postea de jure hæreditario actio, cum Victore & Invasore, rebus adeo mutatis foret? Præsertim cum Daniæ Reges Jus sibi in Sueciam non obscure prætendere dicantur, atque ideò Sueciæ insignia, tres coronas mordicus retineant; & vobis Suecis invitis, infra aut post securim Norvegicam, palàm ponant, gestent ostententque; Quod si aliquid ab illo impetrare licuisset Vladislao, ne iterum apud alios atque alios Suecia aut tota, aut totum Sueciæ Jus penitus periret, an hoc à justâ & licitâ futuri curâ alienum? aut à legitimo hærede deferendum, quifquam præter te diceret? Cur verò Molitiones has perniciosas Sueciæ, in nullis iterum circumstantiis prodis? pecuniam, classem, exercitum à Vladislao submissum, aut promissum Daniæ Regi ad minimum insinuare poteras. Absque his enim, quis hodie aliquid magni molitur aut sperat? Nam talia ut fidem mereantur, non omnino silentium poscunt, nec fugitivam tantùm mentionem, aut præteritionem Rhetoricam admittunt; sed & hoc tu *compendium* vocas. Agnosco vocem; *compendio* enim etiam latrones ac fures, & silentio tenebrisque gaudent, quos postea suspendium meritò in lucem educit, & illustrat. Histe tenebriosis compendiaris, compendiosissime calumniator, cum furtivis utique plumis convitiatorum adjungas licet, quia veras & synceras non habes, etiam cum tam plumatus incedis, quàm exercitus Indicus. Interea & ego.

*Si quid tibi compendii facere possim, faciam:*

Utque levior incedas, detraham tibi alienas plumas, ut meritò

*. . . . . moveas cornicula risum  
furtivis nudata coloribus:*

Nam veri in Suecia & Suecis, jam diu desiêre.

Inter compendiaris itaque adhuc causas post Regem Daniæ Arnheimius & Baudisius, tanquam duo fulmina belli, aut totidem Annibales, non absque horrore in theatrum à te producuntur; acsi cum his quoque, licet nullo regno, nullâ potentiâ, nullâ denique classe, imò milite, sumptúque nullo instructis, in  
per-



perniciem Sueciæ Vladislæus molitiones aliquas agita-  
 verit, quarum tamen nullas monstras. Et Arnheimius quidem  
 (Philosophicum Generalem, honorato joco Gustavus Adolphus  
 vocitasse fertur) nihil admodum magnum & admirandum Polo-  
 nis in Prussia approbavit, adeò ut post ludibria aliquot tunc obla-  
 ta Rege Sigismundo, Principe Vladislao, & Proceribus ad  
 spectaculum virtutis militaris, contra Suecos sub Albo monte  
 invitatis, meritò amotus fuerit: hunc tamen tu Vladislao hic  
 objicis. Sueticum verò Manifestum Anni 1644. Mense Februario  
 editum, Regi Daniæ, cum simili sive querelâ sive vanitate expro-  
 brat. An fortè in duorum Regum tunc obsequium divisus fuit?  
 An verò singulare aliquid & illustre his duobus Regibus usque in  
 perniciem Sueciæ præstare potuisset, non valdè ipsi Sueci testati  
 sunt, quando illum astu doctore in Sueciam abreptum (si vera  
 narrantur) ita clusum, inclusumque & custoditum voluere, ut  
 non solùm è custodia, sed ex tota Suecia illa suspicacissima, ocu-  
 latissima, auritissima, montosissima, paludosissima, vastissima  
 impune evaserit.

Baudisius autem ille bis captus, & crebriùs molæ Stargardianæ  
 assidens, vel postea in aula; an ad moliendum aliquid contra  
 Sueciam in copiis, vel viribus propriis, vel aliunde habuerit,  
 etiamsi eum ex corpusculo illo suo in Herculem vel Atlantem  
 excrevisse fingas, quis vidit? quis audivit? si tamen peritia bellica  
 hunc Baudisium, vel illum Arnheimium Vladislao Regi commen-  
 dabat: Et Baudisius fortè studio conatùve, aut obsequio frequen-  
 tiore Regi sese insinuabat, offerebátque; quid miremur, aut  
 quid tu exprobras militares viros, militaris Regis genio placuisse?  
 Quid alii Reges? An non pacis tempore, ac etiam cum nihil  
*moliuntur* viros magnæ solertiæ, & dexteritatis bellicæ opinione  
 approbatos sibi circumdant, eorúmque familiaritate licitè dele-  
 ctantur. Magni certè videris Baudisium facere, ita illum, tan-  
 quam Ulysssem & Ajacem in Equo Durateo ad *perniciem* Trojæ,  
 cum aliis Heröibus inclusis, tu intra tuarum *Causarum* capsam  
 occlusum, in Sueciæ perniciem erupturum nominas.

Por-



228

Forti posthæc, uti post fortes viros, & operoso verbo partem primam Causarum lacerarum concludis: *Hæc tempore Vladislai I V patrata*. Quid verò tu pater patrata, patratum esse hæctenus ostendisti? Botthium enim & Crocovium solummodò tentasse aliquid, sed elusos; Bergium sollicitasse defectionem Oeseliæ factus es; nec nisi tentatam Livonum fidem, nullo ibidem nominato, brevissimis verbis mentitus es. Sed nec cum Rege Daniæ, & postremis duobus Bellisariis *patratum* aliquid in ullo facto, vel expeditione dixisti; tempore autem Vladislai non à Vladislao *patrata* quod dixeris nescio an ultrò an per impudentiæ modestiam feceris. Quamquam nec illud verè dixisti, multò minùs hoc, cum Vladisläus nihil omnino, neque ipse, neque per Reges alios aut mercenarios Heroas quicquam *patravit*, quod verbi atrocitatem impleat, si tamen aliquid *patravit* (vide quam ordine & clarè tecum ago) cur vivo ea illi non objecistis? Nunc in Umbra defuncti piacula Sueci quæritis, & manes sepulti violatis, eúmque incusatis, qui se defendere non potest: cum tamen saxa ipsa mortuis pacem præstent, aut loquantur, oréntve post funera quietem.

Deinde inficiari nequis Causarie, post omnia illa, sive vera sive falsa à te enumerata, Regem & Regnum Poloniæ, ad pacta pacis generalis Germaniæ, non modò à Cæsare, sed & à vobis ipsis, Suecis, admissum, adscriptum, inque illis comprehensum esse. Inspice Articulum sive Caput xvii. pag. 119. Lipsien. edit. Quæ fronte ergo, aut quo Jure eadem, etiamsi hostilia fuissent, publicæ tamen pacis sinu excepta, & tantâ Regum ac Mediatorum auctoritate, Sueciæque totius consensu, ac confirmatione, iam diu sopita, sepulta, antiquata, tu iterum resuscitas, & veluti ad pœnam ac supplicium vocas? Hæccine Sueciæ Tricoronigeræ fides, sinceritas, constantia vel innocentia est? An leo Gotthicus, aut recens accessoria bestia Gryps ita sævit? Nam vulpem nondum inter insignia publica videmus, interfacta agnoscimus. Præterea etiamsi Rex mortuus, culpæ aut suspitioni apud vos obnoxius verè falsòve esset, nullatenus eidem tamen, ita Ordines Regni Poloniæ impli-

C

pli-

pliciti & innexi sunt, ut noxæ Regiæ, si qua fuisset, simul obnoxii vel astringi à te possint. Scire enim debes in libero Regno, non solum distincta & separata ista esse, sed etiam mutua Induciarum pacta non cum illo, aut ullo solo Rege, verum nominatim, distinctè & expressè cum Regno, & Ordinibus Poloniae solenniter inita, conscripta ac stabilita esse; atque ita à Rege quomodocunque inculpato ad Regnum & Ordines, argumentationem, & culpam, si quam probasses, ritè ac legitimè duci trahive non posse. Quæ tu verò Ordinibus vel consciis, vel auctoribus tentata aut patrata, aliquando. Sed non ubique affinxisti, ea suis jam locis, inania, falsa, gerrásque Germanas, aut Sueticas calumnias fuisse, satis ostensum est; illuc ergo te rejicio.

Cum autem in omni Jure ac foro, manifestum illud ac necessarium sit, ut in criminalibus, quales sunt Regum accusationes, & pactorum violatorum facinora, luce meridianâ clariores sint probationes & documenta; Quid à te hucusque, vel posthac aliud, quàm continua figmenta, & vanissimarum suspicionum fumi, ac densissimarum calumniarum nebulæ lectoribus offunditur? Et hæc talia, tu tamen *Causas* vocas, quæ si loqui possent, nil aliud de se dicerent, quàm

*Nos numerus sumus.*

Postremò, tametsi *Vladislao vel conscio, vel non invito, adeoque instiganti* quasdam objicias causas, cur Regem Casimirum reum, & hostilitatem meritum contendis, urgésque? Successit quidem ille Vladislao, sed non ut hæres, nec hæreditario jure, nam per libera & operosa suffragia, nec extra periculi aleam venit, nec fratris nomen inducit hæreditariam successionem, aut culpæ aliqujus complicitatem, vel imputationem, nisi fortè in Suecia; ubi legimus Joannem, Sigismundi fratrem, proximum Regni hæredem, non solum Regno, verum etiam Magni Ducatus Finlandiæ privilegio, à Carolo & vestris constitutionibus privatam, exutumque. Neque tamen licèt hæres fuisset Casimirus, luere deberet ea, quæ pacis Germaniæ legibus ac solennitatibus sopita, jam ante monuimus.

Quia

Quia verò propria ac particularia quædam convasasti, quæ ipsi Casimiro Regi imputares, ne effugeret tuas criminationes, & bellicum Regis tui furorem; prodeant sanè, sed ordine tuo, qui scelera ordinare & calumnias nosti, ut non nisi ordinatum apud te nefas incedat.

Primus ergo impetus, quasi ingratitude Regis Casimiri erga Reginam Christinam exprobrat; putares hospitem illum Naufragum in Macedonia accusari, qui mox benefactorem ædibus ac facultatibus suis spoliavit. Ad ingratitude verò probandam, quæ adducis? Regina, *inquis*, Sueciæ propinquo arctoque sanguinis nexu Joanni Casimiro devincta, illum Ordinibus Poloniæ, non solum conjunctim cum fratre, sed & sigillatim commendavit, annitebatúrque omni modo, ut is voti sui compos, ad Regnum Poloniæ consequendum fieret; Hócque studium Reginæ mox prosperum eventum fuisse consecutum: sed Regem Casimirum nihilo mitiorem se præbuisse, sequentibus te probaturum polliceris.

Seneca: lib. 4. de benef. c. 37.

Nunc tandem probationes promittis, quod antea à te exprimi non potuit; præstolabimur itaque probatæ fidèi & claritudinis probationes. Interim tamen nè nimis *arctum hunc sanguinis nexum* in Regina jactes aut commendes, nimis enim suspecta hæc tua benevolentia est;

*An quicquid calcaveris hïc, rosa fiet?*

Nimis cruenta exempla in illa familia præcesserunt, in qua tu *propinquum arctumque sanguinis nexum* tantopere deprædicas. Avus Reginæ Carolus, annon *propinquiori* nexu fuit Sigismundo devinctus, quàm hæc Regina est Casimiro, & tamen nullus *arctioris sanguinis nexus*, neque necessitudo, pietati Jurive ulli devincere eum potuit, quin Sigismundum ejusque posteritatem ac sanguinem, quàm longissimè è Regno detruderet, expelleret, arcerétque semper. Et quamvis sanguinem ejus non fuderit, fudit



tamen nobilitatis, populique omnis, qui regio Sigismundi sacramento, arctius fideliusque devincti erant. Hic quoque Carolus Gustavus, *tam propinquo nexu devinctus est* Casimiro, quam fuit Christina; An ideo tantum ut ad Regnum Poloniæ armis *propinquaret*, illo etiam extruso

*Est prorsus iste gentis armigeræ furor.*

à Carolo in hunc transmissus. Interim tamen cum eo Christianæ Reginae affectum studiumque non comparabimus; imò ne miscbimus quidem. Sed nec ideo Ordines Regni Poloniæ Joannem Casimirum, si absque Christianæ literis, electionis fatum sollicitasset, minùs electuri fuissent; cujus facti rationes hinc non opus est commemorare. Literario tamen hoc Reginae beneficio ornatus Casimirus; dic? quo, postquam Rex liberis Ordinum suffragiis electus est, quo inquam ludibrio, contemptu, aut piaculo beneficium illud epistolare, & gratitudinis suæ debitum, atque hostimentum hostiliter corruperit, aut violârit; ut propterea nunc bello à Carolo Gustavo successore mirifico Reginae persequendus, adeoque inhumaniter & inclementer, supra omnem cognati sanguinis modum ac proportionem puniendus sit.

In commercio, *inquis*, literarum cum Regina Sueciæ Latinâ linguâ uti noluit; nullam aliam ob causam, quam ut hocce modo devitaret eam titulorum rationem, quæ Pactis induciarum est expressa, titulùmque Sueciæ, Sueciæ Regibus astruit; Poloniæ verò Regibus derogat: id unicè agens, ut hâc viâ pactorum fundamenta convelleret;

*Quid? etiamne convulsa sunt, &*

*... ruere omnia visa repente?*

Cuniculis, terræmotibus, tempestatibus validioribus, non tam facili vi, vel, ut tu loqueris, *viâ* convelli fundamenta solent. Mirificus certè viator es, sed qui sapiùs de *via* omni recta, ad *avia*, ab omni probabilitate & veritate erro voluntarius *convelleris*. An verò Epistola Gallica, tanto cum impetu aut turbine venit?

nit, aut Medæ verbis herbisve exarata infectaque erat, quibus illa arcem Creontis evertit? vel adeo

*tota, succusso solo nutavit aula*

vestra, quamvis super rupium fundamenta ( ut ferunt ) extracta? Mirum ni etiam

*. . . . . divulsa repente  
maxima dissiluisse capacis mænia mundi*

dicas. Non enim levis est potentia fundamenta convellere, quod vix Neptuno Deo affingere Poëtarum audacia potuit, à quo Trojanos

*. . . . . muros magnosque emota tridenti  
Fundamenta quati, totamque è sedibus urbem*

visam erui evertique, Trojanus exul femineæ credulitati, per convivii libertatem narravit.

Unde verò vobis Suecis istud Gallicæ linguæ odium? vobis, inquam, qui nihil nisi Gallicum strepitis, spiratis, induitis, sectamini, Gallicè braccati, caligati, ocreati, fimbriati, plumati, Gallici nuper stipendiarii, mercenarii, & clientes passim. Gallicis verbis, tanquam Unicis floribus, literas vestras, non Latinas, interspergentes, exornantésque. Quid Galliæ Rex? an non domesticâ linguâ ad Reges Principesque externos passim scribit? Ea Gallicæ linguæ majestas est, aut censetur, ita certè observatur coliturque, nec in suo Regno cedit Romanæ. Sed procul à tui animi observantia, istud vilipendium est, amicæ & regnatricis linguæ, sine cujus cognitione, nemo in ulla ferè aula satis cultus incedit. Latinam tamen linguam pluris facis, quamvis in Latio domesticè & populariter perierit, ut vos eam in; ultimo Septemtrione retinere-tis, ne ultrà abiret! Sed non injuriam faciam synceritati tuæ in hac causa unicè probanda: Ideo non licuisse Gallicâ, vel aliâ quàm Latinâ linguâ Casimiro uti, Dictator Latinè dictitas, scilicet ut per hoc compendium evitaret titulorum rationem in Induciarum pactis expressam. Sed quid ais? annè Induciæ etiam decrevêre, non licere nisi linguâ Latinâ ad Reginas vestras scribere? Deinde, an non in Gallicis literis Christinam Reginam inscriptio vocabat? Casimi-

*Gallica  
Lingua.*



rus verò , nunquid in iis literis , se Regem Sueciæ appellabat , aut titulum ejus sibi arrogabat ? vel amplius quàm Joannem Casimirum sese subscribebat : Et Vladisläus non semel , licet Germanicâ linguâ ita scribebat. Alii quoque Reges alibi , dum familiari inter consanguineos commercio literarum , quasi privatim utuntur , seponunt interim aliquid de Majestate publica , nominibus suis & conscientiâ contenti. Sic quoque Regem Sigismundum , non rarò ad Hispaniarum Monarcham scripsisse vidimus , aut scimus. Reginam scilicet Sueci omnibus Reginis doctiorem habuistis , dignam ideo Romanis tantùm verbis adorari , quia nunc Romam adoravit. Si tamen Regina literis , sine titulorum omnium pompâ venientibus lædebatur , iisque *convelli fundamenta Induciarum censebat* , quare eas toties acceptavit ? quare ipsa Latinissimis verbis & literis non exprobravit ? non improbavit ! Sed tardè , ô Sueci , Reginam , tanquam hujusmodi nugis læsam advocatis , quæ vos fugit , horruit , abhorruit : Nescis an à vobis non gravius læsa , aut lædenda fortassis , nisi sese honorificè & tempestivè subduxisset. Ceterùm quid novi Reginas ex Suecia fugere ? Mater Christinæ quoties aufugit , aut tentavit fugere ? Sed ut ex hoc diverticulo ad viam redeatur , quem tu ex pactis Induciarum articulum vel paragraphum producis , aut producere , productissime hominum potes , *quo expressa sit ratio & lex* , quâ uti debeant , vel uti jubeantur obligenturque Reges Poloniae , ad literas in Sueciam scribendas. An ita fortè observatum fuisse in conscriptione Induciarum , per tuum hunc loquendi modum intelligis ? & hoc tu *expressum vocas* ? Ignoras video , vel ignorare te simulas , Commissarios vestros , dum ( ut infra dicetur ) Lubecæ eodem argumento , atque ejusdem ferè criminis , optimas , aliàs plenipotencias Polonicas , condemnare studerent , probationem aliam in supplementum hujus assertionis suæ producere non potuisse , quàm quod in tractatibus ultimis Prussicis , Polonici Commissarii verbò promiserint sincero , Regem Regnùmque Poloniae , in literis ad Reginam Regnùmque Sueciæ cum adhibituros esse stylum , quo contenti erunt : Nullâ unquam & præsertim tum temporis , de hac  
vel

vel aliâ linguâ, factâ mentione. Sed preme sanè ut vis, ut potes, verba, capita, & non articulos tantùm, verùm etiam totum corpus Pactorum: Exprime intima extima, ac etiam remotissima; quicquam ne hujusmodi ex illo Colosso papyraceo expressum dabis? Regulas juris si nosti, scis quid edicant, si non nosti, potuisses utique tantis Arcadicis auribus tuis audisse, quod expressa noceant, non expressa non noceant. Quare in posterum, si quid occultius & abstrusius habes, quod exprimere non potes, saltem id inter expressa non numeres. Nam quod mox subjungis, tam expresse falsum est, ut digitis palpari posset, nisi larva esset. Asseris enim

Certò certius liquere, Regem Poloniæ insudasse superius indigitatæ Livonum defectioni, & Rigæ capiendæ consilia captasse. Sudum est cœlum, in qua parte Livoniæ hoc liquet? aut quando liquebat? exere, extende, distende *digitum* etiam impudentem, aut quomodo Poëtæ vocant, quem ego dicere nolo; ostende in loco, tempore, aut circumstantiâ *Judatam defectionem*. An digitos fortè Colossi Rhodii habes, qui per diversa litora, extendebatur, cùm tam longinqua, aut nunquam gesta, visâve indigetes? Unum illius digitum pauci homines, ulnis totis complecti poterant; tu uno quàm vasta, quàm immensa, & extra hunc orbem, vel nusquam vagantia figmenta amplecteris, aut confectaris? Hercle si mons Athos in formam, seu statuam Alexandri Magni edolatus aut efformatus à Dinocrate fuisset, prout is industriam offerebat, cujus manus una amplitudinem capacissimæ urbis teneret; illius digitus par tuo non esset. Sed vide, ut sic etiam indigitare defectionem illam possis; Nam procul extra veritatis orbem ea à te fingitur. Quia tamen

. . . . . *magno gaudes sudare tumultu*

dic quomodo, cum quo, per quem, *insudarit Rex Poloniæ*, iste nondum Rex Tibi quidem mendaciorum facilis, promptusve

. . . . . *sudor fluit undique rivis*

aliis ad insudandum rebus falsis, non eadem facilitas? Quæ tamen

men

men est illa superiùs à te indigitata defectio ? De nulla alia ante facta est mentio, quàm quæ à Botthio ineptè repræsentata in fumum abiit. Atqui illic *Vladisläum Regem instigasse, Ordines verò Poloniæ auctores fuisse* asserebas. Sed quid tunc fuit Casimirus, aut quem nunc facis ? *indigita* saltem nomen, titulúmque aliquem ; Sed videris assuevisse cum Siculis, aut Calabricis circulatoribus micare *digitis*, atque ita conjectoris ludicri artificium agere. Dic ergo clariùs, ut si tibi adeò certò liquet id, aliis etiam liquere possit, quibus talia exponis. Verùm nimis perfluit hic liquor, quem ex nebulis Aristophanis, aut è Luna navigabili Luciani, cribro Pomeranico collegisti. Et quamvis totus via lactea (quam ajunt liquidissimam & clarissimam cœli partem esse) effecereris, nunquam tamen Cymmerias tenebras exues, quas obstinato calumniandi genio induisti ; Cæterùm cum Botthio fatìs antea frustra desudasti ; ubi quia tandem refrixisse valde accusationem tuam in figmentis suis nudatam ostenderimus, te in furno Livonico, ubi ignitis lapidibus sudorem humanissimè provocari ajunt, post tot cursus ac recursus sudantem, anui domesticæ fricandum ac refricandum relinquemus.

A Livoniâ deinde, & à Dünæ fluvii viciniâ ad Borysthenem usque solito impetu profiliens ; Cosacos ut in Livoniam irrumperent à Rege Poloniæ invitatos fuisse, haud levibus indiciis compertum habere Regem vestrum. Sed haud satis gravis ipse index exclamas ; nam si aliquod saltem *indicium* attulisses, gravior certè testis videreris ; apparet indicia tua tam levia fuisse, ut repentè in itinere evanuerint : Quod verò invitatos tantùm, non conductos, non adductos, non *jussos irrumperere Cosacos dicis*, humaniter & præter morem tuæ accusationis facis ; atqui mundo universo fatìs constat Regem Casimirum, statim simul cum diademate, & trabeâ Regali sagum induere coactum ; neque semel iterùmque, sed pluribus vicibus, & per longiores moras, cum Cosacis dubiam pacis bellique aleam repetiisse. Visi quidem illi sunt aliquando pacis condiciones recipere, sed feroci semper cum ambiguitate, & metu, seu suspicione : Ideoque securissima semper

con.



consilia , loca atque præsidia , sibi circumdedere ; nullis fluminibus , paludibus , desertis , montibus , aut monumentis , quantumvis operosè quæsitis firmatisque , fati fidentes . Et tu hos re verâ , tam procul domo invitari , vel educi aut sperari etiam ab aliquo potuisse , ut invitarentur , alióque educerentur , dices aut credis ? scilicet ut refugiis suis & munitionibus excederent , virésque imminuerent eas dividendo , & in Livoniam usque alienando ; præfidiáque sua desererent vel debilitarent , tot molestiis , periculis , & sanguine tanto parta stabilitáque ? Vis autem tu haud leve indicium , hujus sive timoris sive obstinationis , simul & vanitatis tuæ ? Aliquamdiu soli & suis viribus , bellum atque rebellionem susceperunt & prosequuti sunt , postea quasi necessitate coacti , etiam inimicas antè gentes in auxilium asciverunt , quarum amicitia nunquam sine damno constat : si itaque toti ( ut ita dicam ) & integri non suis viribus fidebant , quomodo distringi , atque Poloniam & Lithvaniam ultra dissipari abigique militiæ suæ robora , passuri fuissent , qui jam non absque alienis subsidiis plenæ securitatis fidem induebant vel admittebant ? Quod si aliquis vel Procerum , vel Aulicorum , vel nobilitatis Ruthenicæ , privatim optare , vel cupere potuit , aut inter rumores susurrósve fortè est auditus , qui Cosacos nunquam quiescentes , sempérque timendos , ut rariores domi debiliorésque fierent , in Pontum Euxinum vel Thraciæ littora spargendos , & dividendos , suspirio vel promiscui desiderii impetu innuisset ? suaderéque etiam voluisset ; vel si alius simili voto in Livoniam aberrasset , ( illam nimirum partem , quæ Poloniæ adhuc parebat , & omni quasi cultore vacua fuit ) atque ut illuc transportari è Russia possent , ferventiori fiducia innuisset , quid hoc ad publicum consilium vel consensum pertinet trahiturve ? aut quomodo hoc ad spes Regias ascendere potuit , cum re ipsâ absurdum & impossibile esset , à suspicaci , & intolerabilis duritiæ indole , & iterum atque iterum rebellatura ferocia hoc obtineri . Non refert itaque quantum tu audeas , qui quovis , *dices , sub iudice vidi quæ non vidisti , audivi , quæ non audisti* , etiam sub cælo alio , aut nusquam gesta .

D

Anverò



267  
Anverò vos Sueci semper quieti, & innocentes, intra ambitio-  
nis vestræ scopulos, specúsque hæseritis? jam non in partibus  
Moschoviæ, Pomeraniæ, Mechelburgi, Transalbianæ regionis  
aut Daniæ quæremus, quas mirabiliter nullo fortè jure rapuistis?  
Propior erit locus & non unâ fraude nobilitatus. Quod verò ais,  
Polonos non potuisse culpâ fractæ pacis, causâ fractæ pacis,  
si nunc primum *fractam*, violatam, ruptamque *pacem* intelligis,  
nimis facetus es nugator. Aliàs modestia hæc non innocentia ve-  
stræ, sed indoli Polonorum assignanda est, quæ non tam querula,  
non tam prompta fingendi artifex est quàm vestra; postquam  
culpas in aliis confingere non industriæ tantùm, sed justitiæ glo-  
riæque pars splendidissima apud vos censetur. Sed quid opus est  
aliquid fingere, cum Induciæ palàm violatæ fractæque satis pro-  
dant, nimumque comprobent, quid jam diu moliti, quid ma-  
chinati sitis, quidque tot annis moliendo, ac machinando agita-  
veritis. Quandoquidem ergo & hoc elicere, atque exposcere, &  
veluti extorquere videris à patientiæ Polonicæ moderatione, non  
fraudabo expectationis tuæ impudentiam hâc voluptate & hono-  
re, ut legas videásque etiam oculis ab Argo mutuò sumptis, quàm  
spissâ fædâque se culpâ induerit Suecia, & quod non semel, verùm  
etiam sæpius culpari potuerit, quamvis tacente Poloniâ, utpote  
quæ fraudem, non usque *ad frangendam pacem*, & bellum ante  
temporis præfiniti leges inferendum, erupturam speraverat, aut  
timere poterat. Quando enim, ô Sueci, moliri & agitare contra  
pacta non incepistis? aut quando desistis? Nam ut prius Moscho-  
viticum bellum omittatur, quo Vladislâus impetitus est, quibus  
non rebus, quibus non artificiis ac documentis Moscum instruxe-  
ritis? Adeò ut Bibliothecas quoque vestras excufferitis, & Gedani  
scripta typis edita conquiveritis, & si quid ultrà in Polonia vul-  
gatum erat, quod Moscorum nomini grave videretur, id repentè  
cum promptissima interpretatione Moscoviticæ bili subministra-  
veritis. Quis deinde consilia ipsa, artes, disciplinas, magistros, in-  
structores militares in Moscoviam à vobis submissos enumeret,  
ut sic nulla in parte hostilitate contra Poloniam deessetis? Quic-  
quid

quid præterea te lorum armorumque cudi, excudi & fabricari in Suecia, montium ferreorum fertilitas sinebat, id Moschis accederabatur, parabatur, concedebatur. Si militi quoque externo per Sueciæ limites aut mare, finisque maris Suetici perque flumina transitus facilior in Moschoviam, quam per glaciale Oceanum erat, Suecia repente operam ac facilitatem accommodabat. Hæc omnia aut plura, nunc quoque ad recentem hanc Moschorum irruptionem, paratissima votis studiisque suppeditasse Sueciam, quis nescit aut dubitat? Cùmque jam Moschus Smolensco occupato Mohiloviam obsidione premeret, vester nuntius cum literis ad hostem deprehensus est, dignus quidem ad furcam rapi, tamen quia nondum trans mare perfidia Suetica publicè navigaverat in Pomeraniam, & in apertum contra Polonos bellum, candor fidesque Polona, portitorem infestarum literarum pactis magis quam meritis condonavit. Quis deinde fati recensere queat quibus pactis, Moschum nunc contra Polonos animaveritis, nunc illum certos intra limites firmaveritis, ut solis Polonis noceret, vobis interim & vestris finibus intactis? ut facile hinc constare possit, maxima ex parte bellum hoc Moschoviticum vestris consiliis, artificiis, & machinationibus assignari posse, ut tantò commodius vos ex altera parte, & latere Poloniam aggredere mini.

Neque hoc fati, nam vos in Cosacorum animos irrepsisse etiamne negabitis, quorum rebellionem vestris desideriis ac successibus, à fortuna & scelere oblatam, in lucro & felicitate vestra posuistis? sed de hac re mox plura. Quid alibi, ubi spes aliqua nocendi sese offerebat, egeritis, aut tentaveritis, & sollicitaveritis, quis omnino enumerare vel assequi fati queat? Benedictus ille Schytthius Senator & legatus vester, quibus non demonstrationibus, & persuasionibus, Othomanicam portam, & potentiam pulsavit, ut Poloniam à Cosacis afflictam, laceratamque sibi quoque diriperet, sicque rupto & abrepto illo, quod hucusque ætemurale Orbis Christiani habebatur, facilem ad alia aditum strueret infatiabilis illa imperii dilatandi ambitio. Illud autem quomodo non hostilitatis apertæ documentum est, quod Regem Christiani-

23-9  
 nissimum huic Regno semper amicum adeò alienastis, aut alienare contendistis, ut non solum vobis ingentes pecuniæ summas per cambia Hamburgum destinasse, sed etiam minas belli in Germaniam misisse feratur, si quid inde opis in Poloniam contra vos mitteretur, aut concederetur? Hinc metus in Principes omnes immixtus est, ne quis auderet Polonis benevolus, in causa quantumvis justissima, esse. Optaremus quidem hæc vera non esse, partem tamen maximam hujus incommodi jam sensimus, vel extimescimus. Christiani verò Cæsaris aulam provinciâsque quibus non conviciis & calumniis adversus Regem nostrum publicè etiam editis, sparsis & commendatis scriptis, implevistis? Quod si alicubi plùs quàm chartas, aut scripturas adjecistis, nemo miratur vos, à jure atque innocentia destitutos, pretiosioribus documentis eguisse egissèque. Alium verò in vicinia Principem quid opus est nominare, per amicitia mutua, communèque non pridem belli necessitudines, Regi & Regno Poloniae palàm ac gloriose devinctum? Hunc vos Principem taliter nobis per periculorum commodorumque, ac dignitatis mutua societatem conjunctum, ac veluti pignoratam, vos inquam Sueci nunquam omisit, defuistis, per literas, tubicines, nuncios, ad conjunctionem belli vobiscum invitare, vocare; ostentando è propinquis montibus, propinquissimam Provinciam, & in prædam offerendo, ne gratis ille ad vos, & ad hostilitatem contra Regem Poloniae descenderet. Quis insuper alius finis turbati tractatus Lubecensis Vobis fuit, quàm ut occasione sumptâ ex Cosacorum rebellione, & Moschorum successibus, cum tali opportunitate in Poloniam debilitatam, fractam aut distractam irrueretur? Quâ re nihil clarius ac manifestius esse potest; attestatione ipsius Regis vestri confirmante, qui Stocholmiæ post alios discursus, in ipso procinctu, Legato nostro insultabat, se quoque partem aliquam Poloniae post Cosacos & Moschos rapturum, quandoquidem rapiendi facilitas invitaret.

Venio nunc ad pulcherrimum perfidia instrumentum Hieronymum Radziejewium, quem Christinae Reginae adhuc tempore  
 è Po-

240

è Polonia proscriptum, humanitate & favore singulari, tanquam Hannibalem Antiochus (ut Commissariorum Vestrorum Lubecensium ad Reginam literæ loquuntur) excepistis, in despectum & contumeliam Regis, Patriæque & existimationis Nostræ. Nam & hoc amicitiam inter Principes violare solet, stabilire certè non solet. Vestro id exemplo & cautione demonstrante, qui cum Daniæ Regibus maximo sub piaculo cavistis, ne Dania vestros profugos, proscriptos, reos, tecto aut præsidio excipiat; néve vos illius. Et exprobraſtis Regi Daniæ in Manifesto vestro Anno 1644 Die, 16, Februarii vulgato, Reginam vestram malè in Suecia tractatam, humaniter & hospitaliter ab eo exceptam, & adjutam, ut inhumanitatem vestram evaderet. Sed redeo ad vestrum Hannibalem Hieronymum. Quid ille in Suecia vestris favoribus animatus, ideóque se vobis vicissim approbaturus, non machinatus est contra Poloniam, submitiendo inde literas ad diversos Proceres, & audacissimo compendio Jassinium famulum suum ad ipsos etiam Cosacos, quibus eos etiamnum ferociùs ac validiùs contra Regem suum stimulareret concitarétque? Depreſsum verò captumque hunc Jassinium, literásque interceptas, & publicæ notitiæ insinuatatas certè negare non potestis; nam tales ad Cosacorum spes conatûsque altiores concitandos, literas, ubi nisi in Suecia effingi & concinnari potuisse credimus? ubi enim Regis Sueciæ potentia, vires, felicitas, benevolentia, & erga Cosacos imposterum cura, favor, præsidium sic offerri, sic depingi, sic exaggerari, ostentari? aut unde Rex ipse, tam festivè, blandè, pomposè commendari, nisi è Suetica & Radziejeviana Cancellaria potuisset? An verò in tractatibus Lubecensibus dicti Hieronymi consiliis, hortatibus, monitis, aut dehortationibus usi sitis, quid juvat conscientiam vestram interrogare, vel aliorum oculos aurésque quodam modo notitiam publicam appellare? Post tractatum Lubecensem quomodo is vel in Suecia, vel è Pomernia, Majoris Poloniæ Palatinos, Nobiles, aliósq; in Masovia & minori Polonia Magnates sollicitaverit; literæ etiam ejus in conventibus provincialibus lectæ, aliáque ejus consilia passim prodidère.

30  
 dêre. Hæc certè ante classicum vestrum tentata gestaque fuère, ideòque facilè convincunt falsa omnia & simulata fuisse, quæ de Regis vestri etiamnum studio erga pacem, post Tractatus Lubecenses deprædicabas. Deinde quomodo vestrâ conniventia sufflante, vel astutiâ procurante idem Radziejewius, Joannis Kocchy, nuntii vestri simulatione, operâ, morâque in hoc Regno longiore usus, atque abusus fuerit, scriptaque & consilia proditoria ad varios per illum missitaverit; & quid ipse denique Kocchius, meando, commeando, hærendo coxerit, id tunc non uno loco, modò autem aperta in prodicione nimis manifestè erupit, seque prodidit.

Cum Electore Brandenburgico, Duce in Prussia, Vasallo Regis Poloniæ, an præsentem ante irruptionem, clandestina habueritis Sueci, cùmque contra Dominum suum incitaveritis, post liberum Suetici exercitus, per ditiones ejus in Germania transitum, in Poloniam datum concessumque, post tot ejus cum civitatibus & Ordinibus Prusiæ machinationes, oblationes, simulationes; postque tam facilem & speciosam transactionem cum Sueciæ Rege, an dubitationi locus esse potest?

Num verò præterea Ducem Radzivilium, supremum (proh dolor) Exercitûs Lithvanici Præfectum perverteritis aut corruperitis, id quidem neque ab ipsius indole & religione, neque à moribus artibusque vestris vehementer abhorret. Credebatur is Cosacos & affinem suum Chmielnicium strenuè aliquamdiu oppugnasse. Nec dubitabatur fideliter fortiterque pro Patria Mosco occurrisse, & arma, virésque publicas seque constanter objecisse, cùm tandem, ubi fide ac virtute maximè opus erat, paulatim fida Tribunorum Regionum consilia monitâque refutans, aut dissimulans, lentiùsque ac molliùs Mohiloviam & successus Moscoviticos impugnans, repente vester factus est; non securitatem modò, verùm & complicitatem sub vestris insignibus & Aquilâ non suâ indutus; Postremò antequam Patriam prodicione & rebellionem latius obrueret, à furiis obrutus, non absque desperationis manifestæ tormento simul & documento. Hæc omnia &  
 alia

31  
242

alia similia, quæ in vestra tot annorum, & molitionum sive semiclanculariarum, sive publicarum officinâ coquebantur, nec semper celare se poterant, antea Polonia quæsta non est, quia Commissionibus Livonicis hujusmodi querelas assignatas esse sciebat, dictarumque Commissionum fidem fidebat. Nam quis aut spe, aut mente conjicere potuisset, Sueciam tam iniquam, tam immemorem, & juris divini ac humani contemptricem fore, ut Inducias & tempus à pactis constitutum, armis belloque rumperet, fidemque ita publicam abrumperet?

Post hæc à me recensita subjunge iam, affunde, multiplica, quæ & qualia, velis, & quæ reticere non possis, cui semper nova &

. . . . *immensa cavi spirant mendacia folles.*

Et vide, ut Thraasonem vel Stentora, vel si quid jactantius in Comædia, aut clamosiùs in Exercitu Mycenæo fuit, strenuè agas, dum multa alia contra pacta, fidemque publicam, & contra subditos vestros factitata clamas, sed ea te uberiori declarationi, ex ipsis Actis deducendæ relinquere. Bellè sanè & tempestivè spacium plura comminiscendi, tibi relinquis. Fortassis grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet, interim tibi hæsit, quod cum usura postea evomes. Jamque fessum te currendo, terrasque, & maria persultando, vociferando, fingendoque propè credebamus, cum tu plus quàm declamatoriâ voce pronuntias? Potuisse quidem hæc à te commemorata, diutiùs inulta tolerare, nisi Rex, & Respublica Polonia, crebris Inter-Nuntiorum missionibus, & ostentatione pacis, Sueciam toties ludificasset, ac binis Lubecæ tractatibus fucos fecisset, non alio fine quàm ut tempus traheret, & varios in Regnum Sueciæ hostes concitaret, Sicque necessitatem belli inferendi imposuisset Regi Sueciæ.

E ludo & scænâ mimicâ initio prodiisti: Quid mirum si è tabernis fuliginosis, & fumi venditricibus fucum exfugere quæras, quò  
Re-

Regem Poloniæ inficias, ipse *stercore fucatus Crocodili*? Vel ipsæ crebræ missiones Nunciorum, quæ licet sine fructu, sine sumptu tamen & molestia non fuere, testari possunt animum syncerum *studiûmque*, non *ostentationem*, non *fucum* fuisse, ut tu ostentum hominis calumniaris. Tempore belli Germanici, vos pacis vobiscum reconciliandæ requisitionem, & oportunitatem seposuistis, vel non admisistis, excusationem à bello ipso prætendentes, quamvis illud extra Sueciam, & vestros extra parietes ac fundos esset. Rex Poloniæ, cum in ipsis Regni sui Visceribus hostes ferocissimos haberet, potuisset justiore excusatione rem protelare, vosque vestrâ prætensione eludere. Verum ne sic quidem paci honestæ aliquando acquirendæ defuit, si modò honesti, & æqui aliquid, vel spes æquitatis per tot Nuncios, & ipsos tractatus Lubecenses impetrari potuisset. Sed ego in vestrum fastum ac simulationem, morosè non inquiram, quandoquidem tu *Cætera te omissurum* & quædam obiter tantum dicturum *prædicis ac præmones*, quæ docere possunt, quàm parum animi Regi Regnòque Poloniæ ad pacem perpetuam fuerit; ô graphicum Doctorem! Sed quænam illa, quæ obiter tantum dici merentur, ut pro talibus haberi possint, néve tu etiam pluris facias?

Plenipotentiæ, inquis, à Commissariis Polonicis in primo congressu Lubecensi plurimis vitiis refertæ, adductæ sunt, ubi titulum Sueciæ sibi arrogabat Rex Poloniæ, subruto hocce modo ipso pactorum fundamento. Antea per hunc titulum convelli dixeras, nunc atrociori verbo *subrutum fundamentum* dicis. Sed circa hoc antea satis risus & irrisuses, sic loquendo; ac præterea opus non erit repetere hîc, & nugas tuas iterum refutare. Nam titulum Sueciæ Rex noster hæreditario gerit jure, ei innatus, ei innutritus, eoque licitè ac libere, & sine impedimento semper & ubique ad omnes Reges ac Principes utitur & gaudet? non subjectus vestris constitutionibus,  
aut



aut iudiciis decretisve à Carolo, Sueciæ invasore, confectis; ut solus sua cum stirpe mascula, non diu duratura, alieno Regno tituloque frueretur. Neque ad omittendum Titulum seu supprimendum dicta in Plenipotencia obligabatur, per illas Anglici & fœderati Belgii legatorum attestationes, seu copias tantum nudas & simplices attestationum, literarumque Zadzikii ad Comitem Brahe, quas tu superius, pro inducendâ stabiliendâque literarum à Rege Poloniæ in Sueciam formâ; Commissarii vero tui pari vanitate quem in finem allegârunt, & sponte atque irrequisiti produxerunt? cùm ad alium effectum obtentæ & concessæ non sint, quàm ut fidem facerent Sigillo reformatæ Plenipotentiæ appenso, quod circa exclusionem tituli Suetici, & subsequentium Regis Poloniæ titulorum, ejus in locum transportationem, rudiori fortè manu habitum offensumque; certas monstrabat lituras, quarum Sueci (ne illis probro darentur) noluerunt esse auctores. Reliqua *Plenipotentiarum vitia* merito silentio involvis, quia vel levissima illa, & non nisi scribæ fuere, vel certè (ut in mutuis delictis accidere solet) compensanda cum iis quæ etiam in scitissimis vestris, & oculatissimis reperta sunt. Recordaris enim, quod primis illis in Tractatibus præter controversiam de titulo, quam Commissarii tui coacto illo frigidoque, & elumbi argumento à contextu seu scriptura pactorum evincere conabantur, alia intervenerit nulla. Prout etiam recordari ac fateri debes Commissarios Polonos, quotiescunque iisdem in Tractatibus, per privatos & inallebiles cum legato Gallico discursus, de aliis Plenipotentibus mentio facta est, nunquam nisi clarâ & æquissimâ sub conditione respondisse, missuros nimirum se perlibenter in Poloniam pro eis, quodsi missionis tempore Commissarii Suetici ad ipsum pacis negotium voluerint accedere: Vel saltem ipse legatus, de aliqua exinde consolatione, ac temporis sumptuumque fructu assecurare eos possit. Ad quæ ille Vestrarum haud ignarus machinationum pro rectitudine animi sui, nunquam nisi verba ambigua, & bonam spem offerens, maluit iterati congressûs promotor esse, quàm iniquus pro vobis sponsor.

E

Et

Et jam ego te hîc ubi *obiter* tantùm dicenda quædam promisc-  
ras, *obiter* etiam expedire poteram, si dicerem Regem nostrum  
falso à te accusari violatarum Induciarum, tam ob dictum titu-  
lum, quàm quia Plenipotencias ad gustum salivæ vestræ non sta-  
tim miserit, nec ad arbitrium & præscriptum vestrum solùm in  
tractatu agere, aut comparere voluerit. Res & ratio clara est, ex  
ipsa Induciarum formula verbisque, quæ sic habent: **Duranti-**  
**bus ac currentibus hisce Induciis agatur de pace perpe-**  
**tua, ita tamen ut si tractatûs pacis perpetuæ semel atque**  
**iterum non successerint, firmæ nihilominus & inviolabi-**  
**les maneant Induciæ, usque ad exitum pactis hisce præ-**  
**finitum.** Manent ergo Pacta à Rege illæsa & inviolata, tametsi  
se cum dignitatis & honoris sui gratuita jactura repentè Vestris  
dictatis, lituris, correctionibus, reformationibusque subicere &  
substernere recusasset. Mirum verò & monstrosum est, quòd cùm  
binæ ad minimùm partes in tractatibus æqualiter agere deberent,  
vos tamen Suecos solos utrasque partes implere voluisse, nihil-  
que admittere, nisi quod limâ vestrâ limatum, vestrâ securi edola-  
tum esset, Alteri pro suo commodo & honore nihil indulgentes,  
nihil reliquum facientes: Ipso leone Æsopico injustiores, qui fe-  
rarum rex, aliquid tamen prædæ feris aliis relinquit. Deinde Sue-  
cia & tu ipse Causarie profiteris: **Causam Unicam tam diu-**  
**turnæ litis, & antea hostilitatis ac belli inter Sueciam &**  
**Reges Poloniæ fuisse, Titulum Regni Sueciæ.** Hæc lis  
nonne bellè finita esset, Suecisque palma tota, & quicquid hucuf-  
que verbis votisque omnibus optaverant urserantque, ac bello  
petierant, concessum videretur; si Rex Poloniæ titulum suum  
hæreditarium, gratis & ante omnem congressum vel tractatum,  
antèque omnem spem, atque specimen pacis, deponeret, delc-  
ret, & Suecorum potestati atque arbitrio traderet? Sic enim Sueci  
toto suo desiderio, voto ac fine potirentur, nihil verò inde Regi  
Regnòque Poloniæ commodi accederet, cùm neque fiduciam  
aut

aut speciem felicis vel benignioris tractatus ac successus ut promitterent vel annuerent Sueci, induci potuerint. Talis verò successus seu eventus, non à casu, fortuna, aut ab alia incerta alea, neque ab alieno arbitrio, aut facultate pendeat, sed in sola Suecorum voluntate, ac synceritate situs erat. At in Prussia Vladisläum deposuisse in diplomate seu Plenipotencia reformatam titulum Sueciæ fortassis dices? Sic tamen non jus deposuisse, neque successori suo hæreditario, atque eadem lege, quâ ille, & nullo ejus beneficio ad veram Regni Sueciæ successionem venienti, hoc facto suo necessitatem imposuisse, dicere potes? si dicere perges, malignè & falsò dixeris. Ni fortè fateri velis, quod Vladisläum non nisi præmio & mercede receptæ Prusiæ id fecerit, aut facturus esset; Nunc verò quid Sueci Joanni Casimiro præstare parati erant? nihil, inquires, qui ne benevolam quidem ullam ostentationem, vel indicium ostentare voluere. Imò verò si votis Suecorum altioribus & cupiditatibus sese proferentibus, vel secretioribus rumoribus credendum erat, Joanni Casimiro, Prusiæ vel partem, vel littora, certòsque portus cum vectigalibus, aliàque plura, illos adimere velle, plus quàm rumor erat. I nunc, & dic, aliàs observatum esse titulos fuisse depositos. Scilicet hoc modo, his conditionibus, quales à Suecis Lubecæ coquebantur. Et de his fati.

In secundo Lubecensi congressu, quia jure non potuisti, jam non quereris de Plenipotencia: scripta enim erat, licet non secundum obtrusam à vobis per legatum Gallicum formulam, sed ad normam Vladislavianæ seu reformatæ, & quam vos prioribus in tractatibus voluistis habere. In sigilli tantum amplitudine Insignia Regni Sueciæ impressa, contra quam paci congruens, & testimoniis Zadzikii, Cancellarii olim Regni Poloniæ, legatorum Angliæ atque ordinum Belgii fati superque constabat, arguis.

Et cum per insignia Regni Sueciæ impressa hinc intelligas, tres illas coronas, quas Commissarii tui, lincæis suis & belli causas

conquirentibus oculis, nunquam hactenus, neque in ipsa nuper Vladislai seu reformata Plenipotencia ab aliis accusatas inter Provincialia Regni Poloniae insignia, modo primum observarunt; quæro tres istas coronas propria Sueciae insignia esse, numquid non, vobis Suecis toties domi forisque, ac postremo solenniter in Stetinensi transactione Anno M D L X X Dani palam negarunt, cum quibus ea de re tunc lis erat? certè non negarunt solum sed denegarunt, imò palam evicerunt, & obtinuerunt, ne tres coronæ, certa & propria insignia Sueciae haberentur, idque testibus ac veluti confirmantibus Cæsareæ Majestatis, Regum Gallia & Poloniae, nec non Electoris Saxoniae legatis, ad transactionem illam utrinque electis & assumptis. Nihil profectò contra hæc tunc Suetici legati, quamvis instructissimi, & frustra pro dictis coronis obstinatissimi, probare vel evincere potuere. Deinde Dani, juxta Danica & Noruegica aliæque sua insignia tres coronas, an non hodiernum usque in diem publicè habent, gestant, atque ostentant? Neque vos in postremis illis Bronsebroënsibus tractatibus tres Coronas, tanquam vestras repetiistis, aut Danis eripuistis, quamvis partem litoris Danici & Oeseliam ademeritis? Nec aliàs in Dania usquam magis, quàm in Polonia illæ tres coronæ alicui certæ Provinciae assignari vel applicari possunt, atque ita frustra hoc Polonis objicies: Dani verò tum temporis Suecis etiam exprobraverunt, & ex magno illo, (si Diis placet) Suecorum historico Olào ostenderunt, vetus insigne Sueciae non tres Coronas, sed puellas nescio quales fuisse. Quod autem congruens paci non fuerit ejusmodi coronarum in sigillo Polonico existentia, nullatenus probari potest. Nedum verò ex literis Zadzikii seu attestationibus Anglici & Fœderati Belgii legatorum; quia istæ (ut paulò antè dictum est) & si nudis atque simplicibus chartis credendum, ad nullum alium effectum, nisi ad evitandam corrupti sigilli suspicionem à Commissariis illius temporis obtentæ & impetratæ fuere. Si verò is vel alii legati (mirum enim est, quod non omnes) aliquod testimonium taliter compositum, vel conflatum, aut in vim inviolabiliter observandæ legis

Olai  
magn:  
lib: 4  
Cap: 24  
Jo: Ifac:  
Pont: in  
Chorog:  
Dan:  
pag: 69o.

legis dederunt, vel dare potuerunt, idque authenticæ & legitimæ auctoritatis esset, quis tale aliquid vidit? aut unde Regi vel Cancellariæ nostræ constat; Si apud vos Succos solos hæc mysteria clausa & abstrusa sunt? Et Commissariis Polonicis Lubecæ, præter simplices schedulas, monstrastis nihil. Sed quicquid sit de proprietate trium coronarum, cum eæ tamen aliorum, utpote Coloniae Agrippinæ, & Cracoviæ Canoniorum Cathedralium Collegii insignia sint, cumque præterea pars altera vulgarium insignium vestrorum unus aut geminus leo inter Provincialia Regni Poloniae insignia deprehensus non fuerit, poterat sanè minus turbarum hæc res concivisse, præsertim cum antea à vobis vestrisque nihil horum in disceptationem tractum, sed tam in reformatæ, quàm priorum tractatum Plenipotentiæ sigillo, tres istæ Coronæ admissæ & receptæ fuerint.

Interea autem Polonis Commissariis multoties se offerentibus, quòd si istæ tantum coronæ ad tam operose institutos tractatus obstaculo essent, procuraturos sese apud Regem suum, ut deprimendi eas seu expungendi sibi ex sigillo potestas fieret (ita enim & cum titulo Suetico fecerant, nè vobis implorandarum iterum attestationum necessitatem adferrent). Cur vos tam synceri perquisitores pacis non acceptastis hanc illorum submissionem? sed arrogantissimè institistis, ut non tantum delerentur unà cum titulo de sigillo, sed ut ne vestigium quidem in illo superesset cujuscumque, & novum omnino ac recens conficeretur. Quod herclè impossibile fuit, & consequenter Vestra de expectando & prolongando ad hoc tractatum tempore exhibitio & promptitudo, elusoria magis quàm sincera erat. Mutatio enim sigilli ægre absque Comitibus generalibus fieri poterat, & Rex bello Confatico adstrictus, supra ducenta milliaria Germanica Lubecâ distabat, in Russia; ubi nulla omnino neque citius neque tardiùs conficiendi, transferendi verò valde incerta media erant, nisi fortè Lapponici vestri tabellarii seu cursores adessent, vel talis faber, qualis erat is, qui nocte unâ arma integra Achilli mirificè fabricavit; qua in re nemo fidem haberet Homero, nisi fabrum Deum finxisset.

249  
 Porro dum iidem Commissarii præfixum tractatibus bimestre, artificijs vestris, modò per sigilli criminationem, modò per disquisitionem, de loco & ratione congressûs eripi sibi animadvertent, invitaréntque vos ad practicum in Prussia tractandi modum: Videlicet, ut quandoquidem de plenitudine & potestate ipsorum nullum adesset dubium Plenipotentiæ cum reliquis differentiis suis, apud mediatores deponerentur; cum asssecuratione, quod bene ac prospere cedentibus tractatibus, tales vobis pro conclusione allaturi essent Plenipotencias, & tale sigillum, de quali in ipsa tractatum serie inter vos convenissetis. Sic inquam invitantes vos, & suspensis præliminarium vanitatibus, ad ipsum pacis negocium vocantes Polonos, cur ad meditationes seu vexationes vestras Monasterienses conducere adlaborastis potiùs, quàm sequi exemplum, ad sopiendam Luctuosam hanc controversiam à vestrismet Commissariis prudentissimè inventum, usitatum, adhibitum, & tot exterorum Legatorum auctoritate probatum? Fortè quia Succia & patrius mos vilioris momenti & exempli iam apud vos erat, postquam in Germania didiceratis peregrina sectari, & magni atque insolentes esse; & inflari cœperatis potentiâ ad novas Plenipotencias. Sed utut est, quandoquidem vos ad domesticos & rectos mores, neque antecessorum exempla, neque æquitas & ratio, neque instantissimæ Mediatorum suasiones revocare valuerunt, & tam publicè quàm privatim, nullum unquam justæ ac honestæ pacis indicium edere voluistis; Quid aliud Polonos decuit, quàm huiusmodi contumaciæ & arrogantia vestræ se non substernere, sed causam suam justissimam felicioribus committere temporibus, asssecuratos vestram adversus perfidiam sanctitate, fide, & religione Pactorum, nec non confecto prioribus in tractatibus limitationis Instrumento, quod isti, de quo agimus, congressui binos menses statuerat, & illis infructuosè præterlapsis, liberum cuique, omni sine alterius partis offensa seu violatione Pactorum, discessum.

His non obstantibus tu concludis. Hâc præliminarium morâ Suecos impeditos fuisse, quò minùs de violatione Inducia-

duciarum queri possent, & satisfactionem exposcere. Sed quoties repetendum & refricandum est, quod licet *in tractatibus pax concludi non posset*, *Induciæ tamen deberent esse inviolabiles*: Si inviolabiles, quod vobis Suecis querendi jus supererat? Nam si ad innocentiam satis est querela, quis post facinora omnia atrociora non innocens erit? Si itaque *Violatio* nulla esse potuit, quam ob rem satisfactio exposci poterat? An Sueticum merè est injurias inferre aut fingere, & *Satisfactionem* exigere? Pomeraniæ legitimi hæredes, si liceret, meritò queri possent, & Dani, & cui jus antea erat in Bremensem, aliòsque Episcopatus ac civitates. Et sic interim tibi de his satisfactum esto, qui ne hoc quidem merebaris, apud quem

. . . *Nullus verbis pudor aut reverentia.*

Post tractatus verò Lubecenses quid producis? quid astruis? Regem Poloniæ per Canesilium indicasse, velle se legatos suos Rēiq: publicæ, ad Sueciæ Regem ablegare, qui coram ipso tractatus de pace perpetua auspiciarentur, huncque ad hoc quamvis non obligatum posthac ad reassumendos tractatûs, cùm semel atque iterum frustra tentati fuissent, consensisse; eâ tamen lege ut Polonici legati properè accederent, qui tamen condicito tempore non accesserint, sed tantùm Inter-Nuncius quidam Morstenius &c. Multa hîc simul iterum conturbas, Causarie, assuetus fortè non nisi turbidâ piscari aquâ. Num verò *obligatus* Rex vester fuerit novos congressus admittere, ab humanitate Suetica non severè requirimus. Nimis enim dura illa, & montibus suis similis, vel fugitiva est, quæ adeò properè evanescit, ut mox patebit.

Et certum imprimis est Regem Poloniæ per Canesilium nunquam clarè & expressè indicasse, velle se legatos suos in ipsam usque Sueciam ablegare, sed si Lubeca amplius non placeret, Francofurtum ad Oderam, vel Regiomontum, vel denique etiam Rigam, aut Stetinum: Rex autem vester quid? Stocholmiam

pro-

*properè* accedere iussit. Hei *ut subito*, *ut properè*, *ut validè* tonuit!  
 Certè fati pro Imperio cum Regibus. Unde verò illa properan-  
 di per mare in Sueciam facultas, iniquo aut dubio tempore, vel  
 rebus interturbatis, erat? An tanquam in trivio prostant in Polo-  
 nia legati? aut è figlino genere sunt, qui currente rotâ, quolibet  
 è luto effingi possint? Non habet tales Senatores seruos Polonia,  
 quibus omnis nutus Regius pro obsequii necessitate sit, quomodo  
 in Suecia ajunt omnem sibilum Regium, jus Majestatis, & imperii  
 necessitatem habere. Quærendi hîc, eligendi, ambiendi, & si novi  
 fuerint, instruendi sunt, quod sine dubio *properè* & raptim fieri non  
 potest. Neque enim illi priores statim ad manum erant, aut adesse  
 tenebantur, Et iam propè cœlum hyemare incipiebat, neque ge-  
 nio nostro, vel naturæ Poloniæ mare familiare est, vel idoneum  
 admodum.

Deinde non ideo missus est *Morstenius*, ut tanquam legatus in  
 negotio principalius & auctoritatem tractandi, statuendique de  
 pace perpetua haberet, vel proponeret, sed ut pro legatis, qui non  
 eâdem celeritate procurari & advenire poterant, de commodi-  
 tate loci ad tractandam certitudinem aliquam & securitatem, à  
 versatilibus consiliis artibusque Sueticis cognosceret & impetra-  
 ret; ne despectui nova legatio obnoxia foret, prout postea quo-  
 dammodò Regio legato contigit. Hoc itaque Morstenii factum,  
 nihil alienum à moris publici humanitate afferebat, neque is ta-  
 men nisi per magnas molestias & pericula atque jactationes in  
 Sueciam repere potuit; primò Rigam usque circumiens, deinde  
 tempestate, & quasi naufragus in Danica ejectus littora. Interim  
 legatus solennis Illustrissimus D. Zorayshi Castellanus Kioviensis  
 paratus instructusque erat, jamque comitatus, impedimenta, cur-  
 rus expediti ornatique; cùm in ipso valedicendi actu, heu! lethali  
 impetu, subitæ & incurabilis ægritudinis oppressus extinctusque  
 non Regia tantùm & publica vota, ac legationis *properandæ*  
 promptitudinem, sed etiam vivendi facultatem destituit. Certè  
 si homines estis Sueci, humanis casibus (sepositâ interim durâ &  
 montosâ illâ indole) & tam miserabili fato ignoscere possetis, cùm  
 homi-



41  
252

hominem & legatum ad nos *properantem*, mors *propere* nimis in loco fixisset. Post hæc verò, priusquam nuntius mali ad Regem usque perveniret, antequam alius legatus in tanta locorum distantia quæreretur, inveniretur, iterùmque novis literis mandatóque ac sumptibus instrueretur, An non morâ opus erat? aut quomodo *propere* hæc talia peragi, aut properari poterant? Quicquid tamen consiliò curâque ac diligentiam perfici poterat, curatum, factumque & perfectum non lentè est: Missusque pro ratione temporum alius legatus Illustrissimus D: Joannes Comes de Leszno Palatinus Lanciencis, cui post mare enavigatum, ad portum Sueciæ Dalerensem appulso, statim succensuit hospitalitas Vestra, quòd nauscâ tardè discussâ, primùm triduo declinante, inter homines ignotos, & eò locò, ubi non omnia more cultiorum ac civiliorum Regionum parari poterant, misisset sui adventus indicium. Deinde illi ipsi, jam Stocholmiæ Vestræ appropinquanti, non exscendere & evadere è navi, neque terram attingere fas esse voluistis, nisi è Sentina literas fidei prius monstraret, seque legatum probaret. Quod tamen ab aliorum legatorum civilitate admoniti, humaniter scilicet, remisistis. Quomodo verò illic cum legato egeritis, quomodo is ad omnia, votis formulisque & conditionibus vestris se frustra accommodaverit, nullamque jam moram vel excusationem reliquam vobis fecerit ad pacem tractandam, omniâque effugia vel diffugia vestra, facilitate simul suâ ac Regiâ nudaverit ac discussit, vobis nil nisi bellum & pactorum violationem libere ac minaciter spirantibus, & illum hinc aliò ac rursus trans mare ablegantibus, ubi tamen antea tractandi facultatem concedere, aut constituere noluistis. Hæc inquam omnia, & si quæ alia superbè frustrando illata ei sunt, quia frustra vobiscum nunc agitur, hinc non exaggerabuntur.

Interim Morstenius ille quidam, prout à te appellatur, penè mihi excidit, postquam à vobis spretus & contemptus est: In eo *litteras* fidei non in capite, neque in essentialibus, sed in calce litterarum reprehendis, & in iis accusas ea, quæ nihil ad rem faciunt, sive in fine litterarum ponantur, sive nusquam in quibus

tu tamen audaciam & auctoritatem juris ponis, quod nisi impudentissimæ suspicioni, aut fictioni potius liceret. Sed quid tibi non licet, qui etiam Literas fidei datas Morstenio à Rege Poloniæ *insimulas*, illud præjudicii involventes, ut sub annis Regnorum suorum, (cùm unum tantum videlicet Poloniæ habeat) ad calcem literarum annotatis, innueret, se esse Sueciæ Regem, titulúmque illum Sueciæ, quem in fronte literarum Regi Sueciæ ex pactorum præscripto tribuisset, esse frustraneum & inanem. Hic non puduit te iterum pactorum præscriptum appellare, quod toties nullum esse ostensum est. Fateris autem, *Regem Poloniæ in fronte literarum* Regi vestro tribuisse titulum Sueciæ, quò illic ipse nominatim claréque abstinuit, Frons autem literarum, an non is locus est, in quo Reges se suosque titulos profitentur, eosque expressè præmittunt, & cum dignitate exponunt, non verò in cauda; nisi fortè apud vos cauda calxque preciosior atque honoratior sit, quàm caput & frons. Tardè certè & præposterè se Regem Sueciæ Joannes Casimirus, absque mentione Sueciæ, & eo in loco, ubi nihil amplius nominabatur, *innuere voluisset*, (ut tu calumniaris) si post depositum, palám publicéque *in fronte* & capite titulum Regni, illum demum in calce, & veluti sub pedibus, tacitè, sine nomine, sine indicio omni reservasset. Verùm tibi non lyncei tantùm, sed etiam vulpini & Crocodili sunt oculi, adeò astutè vides, quæ nemo alius videt: Nam & Crocodilus non habet oculos ad lachrymandum, nisi ut decipiat & noceat. Neque tu tamen antice & postice Jane, in illo literarum veluti postico (condonabis verbo inopinato) aliquomodo innuis, simul cum Polonia, aut juxta illam in nomine suo Sueciam scriptam aut nominatam fuisse. *At Regnum Poloniæ* inquis, *Unum tantùm habet Rex*: si veteres titulos inspicias non unum semper fuit, & post Christianam disciplinam acceptam adhuc plura fuère, interque Reginas harum terrarum sanctiores, illa Haliciæ Regina, hodie

45  
254

hodie publicâ memoriâ & veneratione honoratur. Facile verò pro tua, aut synceriori humanitate agnoscere potuisses, non regium consilium, stupidissimum illud compendium & figmentum à te illic po ductum potuisse esse: scilicet ad *pronuntiandam frustraneam* & inanem priorem illam in *fronte* expressam & professam contestationem depositi sigilli, fuisse postea suppositam vocem non exprimentem quicquam clarè & nominatim. Scribam autem vel Actuarium, non eximo omnino culpæ aut fo cordiæ, præsertim (ut hoc non diffitear) cùm Cancellariæ Polonicæ scribas non semper eruditionis commendatio eligat admit tâtque, sed mera plerumque Characteris vel pingendi qualiscun que industria, manúsque specimen assumat. Neque Reges scri bendo nomen suum illic, vel annos suos numerare, vel inspicere solent: Et nostrûm aliquis, cùm literas scribis describendas tradit, quando postea relegendo ad voculam illam *Datum* pervenimus, oculorum & correctionis diligentiam ampliùs non extendimus. Tam suspicacem autem & malevolam tuam diligentiam & fin gendi industriam quis sperasset? nisi quod ubique nodum in scirpo quæras, quem tamen nullum esse, ipse Juceus, Regiæ apud vos domus, fasciculus monstrare posset.

Sed & aliud quiddam te *in literis fidei*, emissitiis tuis oculis, Arctoa è latebris ulula deprehendisse ululas, simulans tamen, il lud te omittere, & transire silentiò. Nescivissemus te esse tam Rhetorculum, nisi figuram Rhetoricam ab ipsis Atticis Athenis, ubi noctuarum est patria celebris, tu Borealis noctis incola, tam bellè ascivisses, ut quod maximè dictum expressumque ac clâma tum velles, *silentiò* te transire nugareris. Sed neque ego tibi Tran sitorio homini, nisi per transennam aliquid regeram, qui solam vocem *Et cæterationem* iterum atque iterum a Latinis Regis literis exigis, cujus unius omissionem derogare paritati Regum, transeun do tantum insimulas. Sed mane fané. Nam hoc quoque neque consilio, neque studio factum; satis vobis constabat, quod cùm scribæ simplicitati aut vitio, ommissio fortuita assignari potuerit, ultrò aliæ, & quales Suecia voluit, literæ transmissæ fuerint; La

F 2

tinè

tinè certè confectæ, & tam clarè ab eo, qui cum Regna, Ducatûs, Provincias, & hæc atque illa omnia, simûlque & cætera scribi fecisset aut concessisset, fati universa ac singula pariter concessisse credi potuerit. Vis tu hoc, clarissimo & proximo in exemplo? Siquis te Oratorem, causidicum, historicum probum & cætera improbum diceret, an non omnia improbitatis elogia tibi attribuerit? aut quidpiam postea probitatis tibi relictum putas? etiamsi tu Excetrâ lernæâ, & cætô Atlanticô, vel balenâ Britannicâ major, te intus & intimè exenterares. Quantò modestiùs graviùsque Angliæ semper & hodie Galliæ Reges cum titulis suis agunt, qui nullam cæterationem quærunt, vel usurpant ipsi, aut ab aliis exigunt, etiamsi plures Principatus in Regnis suis numerare queant, & nobiliores quàm Suecia, sed tu nimis

. . . *Vis Archetypas habere nugas.*

Jámque ego te nescio quo, cum tuo silentio transiisse putabam, cùm tu præcipiti anhelitu regressus, *præcipuum* quoddam, sed novo horrore terrificum, incertum quo ex mari producturum te minaris, verebar ne illa esset, quæ Hæfionem devoratura quondam visa est

. . . *repens consurgere ponto*

*Bellua monstrum ingens, quam tu nec montibus ullis*

*Nec nostro metiri*

posses mari. Hercule hîc fortè opus est ut olim contra illam; Magna certè monstra fuisse necesse est, quorum dentibus plùs quàm Elephantinis, jugulum ais Sueciæ, Regem Poloniæ petiisse. *Et quænam illa?* Peregrinas, inquis, classes in mare Balticum Rex Poloniæ inducere est conatus; fœderaque cum variis Principibus ac populis, qui dictum mare accolunt ac frequentant, inire, solo Sueciæ Rege excluso; & ne cæci non viderent; adjecisti, luce meridianâ clariùs esse, dictas classes adversus Suecos fuisse destinatas. Quod si *meridianam* hîc lucem, illam vicinîæ vestræ aut

Lap.

Lapponiæ intelligis, festivè tibi credimus, ubi hyems & nebula perpetua

*Involvens umbrâ magnâ terrâmq; polûmq;  
Semper, & obtentâ densantur nocte tenebræ.*

Cur verò nullus Rex aut populus *in tanta luce* nominatim & specificè ostendi potest? Nullus locus aut tempus certum exprimi? *Non ita pridem* hoc factum ais; At tu jam pridem mentiris, præsertim cùm nihil nominas. Qui deinde illi *varii sunt Principes & populi mare Balticum accolentes*? qui classes habent, ut ad nutum Polonorum contra *Sueciam* mittere possint? unus Regum, Daniæ Rex ejus maris est accola. An ille *Ipsè Mycenæus magnorum ductor Achivûm*, mille navium classem, tanquam ad Trojam expugnandam sollicitatus est? Si ita est, illo vivo dic eundem sollicitatum esse, ut tibi testis adesse possit. Qui verò alii sunt, qui quidem Balticum non accolunt, sed frequentant, Britannos vix credo te intelligere; causam meliùs nosti quàm ut audeas fateri: Ordines fortè fœderati Belgii aptiores sunt & paratiores. Sed quæso te, quâ spe, aut quibus sumptibus, hoc cogitare, aut suscipere Rex Poloniæ isto tempore potuit? Ajunt quidem tempore tractatum Lubecensium, aut circiter, rumorem quendam incessisse; sed nullo Rege, nullo ordine auctore; E re fortè negociationis magnæ, ac fructuosæ esse potuisset, si Polonica societas adjungi posset maritimæ cuidam societati. Sed unde Polonis aliqua in mare fiducia, aut vires? Nec tamen hic rumor aut inane votum, ad publicæ vel Regiæ auctoritatis notitiam seu consensum unquam pervenit. Sin aliter se res habet, dic per legatos, vel per literas, vel per indicia, Regem ullos sollicitasse, ne semper fingere videaris. Si verò societatem aliquam foris Rex quæsvisset, vel oblatam admisisset, An à more hoc aliorum Regum alienum, aut omnino illicitum erat? Aut vos Sueci soli homines estis, quibuscum societas iniri debeat aut possit? vel contra quos fœdera sanciri queant. Nimiùm estis, si nullus alius Rex aut populus præter vestrum est: An nusquam mundus, amicitia, & genus humanum, nisi in Suecia viget & latet? Aut si Rex Poloniæ aliquem amicum Regem habe-

re vellet, ideo subito contra vos amicitia illa, per insidias aut cuniculos, vel aperta pacta strueretur? Vos in Britania forte societatem iniistis; nunquam in vestra consilia aut facta inquisivit Polonia. In Lusitania simul atque Rex novus erupit, vestra legatio occasione abblandita est, Sueticæque amicitia blandimenta attulit. Nec illic quidem sinistri aliquid suspicata est aut quæsta Polonia. Et heu quid non in Gallia perfecistis aut tentastis? Ut de Moschis interim taceam ea, quæ seipsa produnt, & orbi jam manifesta sunt universo. Quid Benedictus Schytthius Senator & Legatus Sueticus in aula Turcica sollicitaverit, quis dubitare potest? Solis ergo Suecis trans maria terrasque omnes Regum sollicitare potentias vel societates licet? Solis Polonis interdictum est, vel unum amicum, aut non nisi ad arbitrium vestrum asciscere, vel admittere invitantem? aliàs diffidentiam vel hostilitatem vocatis. At solum *Sueciæ Regem à Polonis sic excludi* molestè fers, aut minime ferendum putas. Et vos ubinam usquam Regem Poloniæ in societatibus tot vestris inclusistis? *In pace quidem Germaniæ id fecistis*, sed ut turpius per injuriam excluderetis, bellum sic quoque inferentes, contra Fidem publicam, Nam vestram ubi appellem?

Post hæc de maris Baltici & commerciorum turbatione à Polonis quæsitâ, pudet tecum litigare: Nam Suecorum hoc proprium est & peculiare, prout non solum Caroli sed & Gustavi tempore, luce meridianâ propiori constitit, & nuper emicuit in portu Gedanensi; ubi Vrangelius, & alii cum classe Suetica, vectigalibus exigendis, & sic libero commercio turbando insidiabatur, solum ita per literas, à nobis interceptas, jussus à Rege vestro rem moderari, ut si Danus & Batavi, pro libertate navigationis, vim opponere vellent, Vrangelius exactione abstineret, si modò nil dum tale aggressus fuisset; sin jam ad factum ipsum processisset, pergeret porrò & non desisteret. *An verò tutela maris Baltici Suecis peculiaris sit*, credo nondum cum Rege Daniæ decisum esse, qui non frustra sibi vectigal in freto Orensi constitutum & consensu gentium approbatum asseverat, atque defendit.

Et

Et hucusque causas omnes enumerando, virus tuum, araneole Suetice, evomuiſti; quæ cum ſic nil niſi tela araneofa fuerint, eas muſcæ cujuſlibet ſclopus poſthac facile difflaverit. Ita tamen tu pro te, proque tuo Rege; pro Poloniſ verò objectionem unam, alteramque vel etiam tertiam invitus quidem affers, ſed & invitâ Minervâ mox impugnare & evertere conaris.

Prima eſt qualem ipſe informas & mox deformas. Quod Poloni controverſias exortas, per Commiſſarios in Livonia non per arma decîdi debuiſſe opponant. Meritò id quidem, quando ita & non aliter ſtatutum ac præſcriptum & licitum eſſe ex pactis conſtat. Contra hoc tamen ſic reponi poſſe ais. Interim ſatis molliter hoc poſſe dixiſti; nam ſolidè *reponi poſſe*, dicere non potuiſti. Quid tamen robuſtiſſime Gigas per potentiam tuam potentiffimam, è calumniarum repositoſio *reponis*, qui hucusque nihil validi, nihil firmi poſuiſti? Per Commiſſarios, inquis, in Livonia nihilò plus obtineri potuiſſe, quàm per binos Lubecæ ſolennes conventus, nec ſpem fuiſſe deciſionis controverſiarum per Commiſſarios, quando Lubecenſi bino congreſſu, nè præliminaria quidem pertractari potuerint. Hæccine contra ſacrum & inviolabile pactorum repositoſio, ſuppoſititæ promeconde, *reponis*? ſicque pacta eludis, quæ unicum hunc modum Regibus Regniſque ſervandum, expreſſis verbis & legibus aſſignârunt, indixerunt. Indixiſſe, certè negare non potes, ſervandum ergo hoc erat, non mutandum, non rejiciendum, niſi ſimul pacta rejicerentur: Et non ſervando vos Sueci ſoli infregiſti, ſoli violaſti pacta. Commiſſionum enim illa non ſolùm natura, ſed & neceſſitas erat, ut Tractatum & belli facultatem præcederent, quo igitur jure à bello incepiſti, commiſſionibus non habitis & Induciis durantibus?

*Extrema primo nemo tentavit loco*

Niſi extremè perditus aut inhumanus.

Priùs in Commiſſionibus de violatione pactorum agi juſſere pacta,

Et

pacta, factum à Vobis non est, non permisere antè ad arma de-  
 scendi, factum id tamen à vobis est. Malè itaque imò malignè, a  
 tractatibus ad Commissiones ratiocinarius Caufarie. Nam in his  
 nullam de pace perpetua tractandi facultatem, aut necessitatem  
 posuère pacta, & sic non par moles aut difficultas fuisset; frustra  
 ergo argutaris. Nec præliminaria quidem moram, vel obicem  
 ullum opposuissent, atque ita faciliùs res transigi potuisset, quàm  
 illic, & non alibi; multò minùs in acie & bellò agi & peragi de  
 pactis violatis debuisse, clarè pacta jussère. Suetica ergo hæc  
 fraus aut tergiversatio, non Regis Poloniæ erat, cui tu toties fal-  
 sa imputando, moras, ludificationes, fucos fucosissimâ fronte  
 assignas.

Secundam objectionem, quia clarissimam & validissimam in-  
 venisti, novæ lubricitatis astu & fallaciâ anguillâ Sueticâ seu  
 Amphisibenâ exoticâ cludere tentasti. Licet enim semel ite-  
 rùmque tractatus pacis non successissent, firmæ tamen &  
 inviolabiles Induciæ, usque ad tempus pactis præfinitum  
 debent manere. Hæc verba sunt pactorum, & talia ipse clarè  
 expressèque producis, quia aliter non licuit. Tu quid ad hoc?  
 Rex inquis, meus nihil in his pactis præsidii habuit, ideo  
 ad arma decurrere debuit. Imò *currere aut decurrere* non de-  
 buit, quia pacta vetant. Firmus itaque atque immobilis, & pacto-  
 rum observans manere, & tempus præfixum expectare obligatus  
 erat, nec aliud ei *præsidium* interim, vel ante illud tempus necessa-  
 riò præfixum permittebant; quia unicè cavebant, & prohibebant,  
 ne priùs ad arma decurreretur. Itaque non aliter pactorum aucto-  
 ritate uti potuit, quàm illa permittebant; nisi si jam spernebat  
 auctoritatem, quæ non concedebat illi undecunque, nedum pactis  
 violatis, præsidium aliud arripere.

Et jam hîc deprehensus tenebaris, ut tamen erumperes, omnia  
 simul rupta effingis. An fortè aliqua Principalis arx Sueciæ.

. . . *procubit subito & cælum tonat omne fragore.*

Cùm



Cùm scilicet Priores Pacta violarent Poloni, quo nunc figmento effugere & elabi tentasti? Contractuum & pactorum rationem hanc esse, ais, ut cùm mutuâ stent obligatione, ubi ab altera partium violata sunt; altera partium se non teneri ulterius pactis putet. Putet tantùm? poteras firmiori verbo uti, si quid firmi habuisses. Putet certè ratio, quæ nihil purum putùmque habet, & tota causarum enumeratio apud puros syncerosque Judices, quid nisi

*Tanti est, quanti est fungus putidus?*

Cùm verò toties Polonos, seu *Regem Poloniae violasse pacta* insimulas, interùmque ne semel quidem aut unum aliquod evidenter ac solidi probaveris, quid te nisi toties mentitum constet? Actore autem nihil probante, quid jura statuunt ignorare non poteras, aut non debebas. Pro probatis ergo, quomodo à probis recipienda sunt? Et quoniam per singulas causas, ne quid omitteretur, tecum itum est, & sigillatim omnis accusatio tua circa pactorum violatorum figmenta, in nominibus ac particulis suis, ventilata & discussa est, Æolum hîc & ventos alios ad eam difflandam non opus est evocare.

Tertiam Polonorum objectionem sic levissimè producis, ut tantò levius evadas. Prædicta verba semel iterùmque non pro binis vicibus accipi debere, sed pro pluries repetitis, eoque ad tractatus non ad arma descendi oportere. Sed quid refert, an pro binis an pro pluribus vicibus intelligi debeant voces illæ, *semel iterùmque*? Nam tametsi non bis tantùm sed etiam decies non successissent, pacta nihilominus decrevêre, ad arma descendi non oportere. Si non ad arma, quid nisi vel ad tractandum, vel ad tractatus renovandos descendi debuisse? vel certè quiescendum ab armis usque ad præfinitum tempus, tenor pactorum decernit? si prius illud negaveris, hoc posterius certè nisi furiâ furiosior sis, negare non poteris. Tu tamen qui tantùm numerare malè scis, postquam voculas semel iterùmque, pro

G

binis

binis licitis vicibus accipis, addis, pluries quàm bis convenire, contra sensum pactorum esse. Ita cum malè ipse sentias, parvam hanc sensus tui sentinam, aliis quoque offundere conaris, qui tamen id, quod expressè vetitum esse non probas, pro expresso ponere non debuisses. Dictum verò tuum sic tueris. Ideo plùs quàm binum congressum, contra sensum pactorum esse, ut necessitas partibus imponeretur absolvendi negotii, ne irritus & repetitus sæpius congressus mentes exacerbaret, & pariter omnium gentium ludibrio exponeret, maximarúmque impensarum causa esset. De ludibrio piget aliquid movere, cum florentissimæ & potentissimæ gentes sæpissime congressus repetierint. Sed nec ulla tam splendida, aut sumptuosa est natio, quæ non celeriter finiri tractatûs & controversias optasset. Neque tamen verum est, *pacta necessitatem non pluries quàm bis congregandi*, simpliciter & inviolabiliter præfixisse, aut non permisisse renovari tractatûs, prout superiùs demonstratum est, & ratio clara dictat. Quia licèt semel iterúmque non convenisset, inviolabiles tamen debeant ab eo tempore, usque ad ultimum definitum tempus permanere Induciæ. Hæc sola unicæque & inevitabilis est necessitas, quàm pacta decrevêre.

Post hæc leoninæ pelli bellè vulpinam particulam assuis, & lectori blandiendo Regis tui ubique nunc cruenti, studium ad pacem perpetuam commendas. Eum nempe, post illa omnia quoque in tractatum amicitiaæ perpetuæ consensisse, eâ conditione tamen, ut legati Polonici pro spe, à Canesilio facta, nullâ interpositâ morâ propere advenirent. Sed de hac propera properatione, jam tibi suo loco propere & propriè responsum est.

Post omnia verò quænam tandem tibi

. . . *magna malæ superestaudacia causæ?*

Orbi inquis, Christiano, ex his omnibus liquidò constat,  
quàm

262  
quàm justum Regis Sueciæ contra Polonos bellum sit, &  
quàm necessarium. Verùm enim verò & hanc liquiditatem an-  
tea jam discussimus, quæ nil nisi nebula, aut fucus, aut mucus fuit.  
Et Si ex illis justum Regi tuo conflatum fuisse bellum ostendere  
potuisses, non ad furorem statim ab initio confugisses, quem illi  
pro clypeo induisti. Necessarium autem Regi tuo fuisse  
hoc bellum ad antevertendas perniciosas Regis Poloniæ  
machinationes quod adstruis: Si illas machinationes intelli-  
gis, quas hæcenus enumerasti, cùm eas mera figmenta & calum-  
nias esse sigillatim ostensum sit, novam hîc refutationem non  
merebuntur. De alia *necessitate* Regis tui aut militis sui non libet  
ex rumorum vel claritate, vel ambiguitate quicquam vobis ex-  
probrare. Scilicet an necesse fuerit, militem Sueticum inque-  
tum, stipendiorum egenum, aliò ad prædam & spolia effundere,  
cui quasi alendo ac sustinendo, nec Suecia, nec Pomerania, &  
quicquid præterea habetis par erat. An verò id in Poloniam licue-  
rit, satis Pacta demonstrant quæ Bellum omne, ante finem  
Induciarum prohibent. Sin talis necessitas domesticæ indi-  
gentiæ, justitiam belli alicui affert, quilibet prædo latróque, au-  
rum, argentum, & alia præterea bona aliis diripiens, necessitate  
se justum atque innocentem fecerit; Si itaque hæc, tua etiam *ex-  
cusatio* est, quam Orbi Christiano obtrudis, quis miretur *necessita-  
tem* hanc purè merèque Sueticam esse? Finnis quidem Suecorum  
vicinis Tacitus miram feritatem, fædam paupertatem  
assignat. Quota pars Exercitûs Suetici sint hodie Finni non re-  
fert, cùm sub unum imperium, & veluti unam in gentem ge-  
niùmque cum Suecis coierint, morésque & indolem junxerint.  
Tantâ certè cum feritate & fæditate paupertatis in Poloniæ visce-  
ra irruère, ut fidem nimiùm fecerint utriusque nil sacri, nil pro-  
fani, inviolatum integrùmque relinquentes. Et hi tales non mo-  
dò è rupibus scopulisque suis ferociter prorumpunt, sed etiam  
è genuina Gotthorum consanguinitate non novos fungos se pro-  
diisse

diisse gloriantur. Et quis tam præclaras vel obsoletas necessitudines illis magnopere invidet? præsertim si Gotthi nil aliud fuere, quàm Orbis terrarum prædones, & nullius Regni aut Provinciæ justii occupatores, ideoque nec meliorem quàm meruere postremo adepti exitum: Enim verò pars eorum celeberrima Ostrogothi in vero cognomine solam circumferentes asperitatem (hoc enim *Ostro*, non verò Orientem significat) sic Italiam invasere, ut postea à Longobardis subacti oppressique interciderint. Pars altera violentæ claritudinis sub Visigothorum apud veteres omnes scriptores, non autem sub vester ---- aut vestro-Gotthorum appellatione (ut nunc Suecia nugatur) aliquoties in Gallia ac Hispania cæsi, tandem à Mauris, ne quid ignominia deesset, obruti, extinctique, nusquam illic prisca vocabuli vestigium post se reliquere. Et tamen ab his larvis hodie nobilitatis cognatæ gloria à Suecis captatur, cum nulla nisi feritatis superfit. Gotthos autem tam facile è Suecia, quàm Suecos ex equo Trojano exiisse credideris. An verò ex Arca Noë in majoribus suis Sueci prodierint, cum Antipodibus aliqui dubitant, neque è bipedalibus Olavi Magni in Suecia Pyramidibus constat; nisi fortè sub luporum forma, pellèque cum Cynocæphalis inde erupere: Unde nunc Lycanthropi isti, plus quàm lupino more & ferocia passim omnia lacerant, lancinant, cruentant, vastant, diripiunt. Sed dabit Deus his quoque finem, aut laqueum, aut quodcunque aliud compendiosius, quale belluæ furiosæ merentur.

Restat postremum impudentiæ Sueticæ specimen, in quod tota causarum enumeratio plus quàm Niliacâ aut Istricâ vastitate exoneratur; quo nihil impudentius, nisi à Sueco concipi potuit. Nam te Regemque tuum confidere ais, has rationes, non solum omnibus iis, qui hæc inspicient, sed etiam Reipublicæ Polonæ subditis harum machinationum ignaris probari posse. Te quidem confidentiæ Regiæ columen graviter impudentem necesse est, qui subditos Regis Poloniæ tuo quàm proprio Regi maiorem fidem habituros, non modò ipse putes, spe-

55  
264

speres, confidas, verum etiam *Orbi Christiano* persuadere id audeas. Externo illos scilicet Principi & hosti, post bellum etiam, & gravissima damna cladisque illatas potius, quam domesticæ auctoritati mansuetè regnanti, etiam diu sese clementiâ hæcenus approbanti credere velles? Interim blandulè palpum obtrudens addis & agnoscis. *Partem subditorum Polonorum harum machinationum ignaram esse.* Innoxii ergo illi sunt, nec hostilitatem meriti, quia ignari; cum tamen omnes citra discrimen à Rege tuo oppugnentur, affligantur, opprimantur. Sed quas tu tamen Machinationes intelligis: Nam eas, quas tu hucusque è perpetuæ calumniæ machina eduxisti, jam contrariis machinis, prout quæque à te Umbratili & larvato Archimede eductæ fuerunt, superius elisæ prostratæque sunt. Quis autem illarum *machinationum* ignarus non sit, quas nec homo, nec Sol, nec Deus ipse videt, aut vidit unquam? Quantò justius Rex Poloniæ, post bellum ante omnem legitimam denunciationem illatum, & quidem durantibus Induciis, ac pactis insuper Germaniæ comprehensus, conscientiam ac censuram Orbis Christiani, ac proximæ sinceræ semper & candidæ Germaniæ, appellare, advocare, & invocare posset?

An verò ad Cæsaream quoque Majestatem hæc pertineat injuria, augustiori judicio ultrò submissum, & commendatum fore speramus; ita ut jam opus non sit, in memoriam reducere duas priores causas, ob quas Suecus bellum Polonos sese inferre profiteretur, à Cæsarea Majestate profectas. Una fuit à Botthio, qui cum milite & diversionis bellicæ spe atque fiducia, à Cæsare in Livoniam directus missusque fuerat; Altera non minore impetu cum Crocovio Cæsariano itidem ductore venit, quem per Poloniam in Pomeraniam, Suecorum tum temporis Provinciam vastandam, permittentibus aut non prohibentibus Polonis, transiisse & rediisse Suecia quæstæ est. Prout hoc in fronte statim præsentis manifesti infert, & exaggerat; nomine tantum & auspiciis, imperiisque ac jussibus Cæsaris, Sueticâ calliditate reticendo. Ejus silentii causa nunc non repetetur, quæ tamen se facile prodet, expecten-

G 3

spectentur saltem successus & furor belli Suetici. Quodsi tamen ob talia aliud sperare, seque aliud mereri à Cæsare putaret Polonia, quis spei & simplicitati ejus succensere merito possit?

Aliorum Principum Regumque animos ac judicia scrutari difficile est, compellare forte tardum, praesertim si in praecipuos incidat. Suum cuique arbitrium & censura ex re aut prudentia, vel aliis causis esse potest, estoque. Causas enim omnes quis omnino queat vel audeat deprehendere aut nominare? Si quem tamen metus, terror, vis avertit, si quis minorum gentium sua levitas, vel similitudo aliqua, spesve novae mutare aut corrumpere, nihil à seculi, indolisve aut moris sui expectatione alienum fecere. An verò aliqua etiam Aula auro (quod tamen in Suecia nasci negant) Suetico corrupta fuerit, illi soli sciunt, aut credunt, qui illic insuper preciosis Moschorum pellibus, adeo emollitos & suffultos aliquos viderunt, aut vidisse se putant, ut humanissimo favore barbaram perfidiam praepolonorum innocentia commendatam atque approbatam, habeant, praedicent, tueantur. Alii nunc successibus & eventui, pessimo ac perfidissimo Auctori passim forte accedunt; Et fortuna plerumque pro justitia est; Qualia passim olim, & nuper exempla per Regna Insulasque, nec semper incruenta incedunt, neque illaudata.

Suecis verò post omnes causas, conatus spesque, quid nisi occasio placuit electaque est? Cum Rex ipse Sueciae Legato Polonico Stocholmiâ abituro, non dubitaverit gloriose profiteri: *Postquam Tartari, Cosaci & Moschi plurima in Polonia diriperent, se quoque partem aliquam rapturum.* Cum ergo id palam, animo votoque toto, Rex Sueciae destinaverit, in hoc quoque viribus ac successibus omnibus cum incubuisse jam obscurum non est. Potuisses fanè in principio, mitiori proverbio uti, videlicet, occasio facit furem, nisi pluribus syllabis majorem, nempe *furiosum*, Causarie, fecisses. Occasio certè nefas totum validius impulit, implevit & perfecit; dum Russia, Poloniae pars magna à Tartaris vexata, à Cosacis oppressa, Lithvaniae verò Ducatus magnus cum annexis Provinciis, à Moscho contra fidem pactaque publi-

ca perfidè occupatus, Regisq̄ue nostri vires per scelus alienum  
aut novas calamitates ubique debilitatæ essent. Sed vile fortassis  
& infame est proverbium, quod furem Regem ex qualicunque  
etiam occasione faceret. Nec satîs Rege dignum, quod patientia  
læsa statim faciat furiosum. Regium ergo & Carolo Gustavo  
dignum est, & quod non nisi à Regibus usurpari meritum fuit.

*Si violandum est Ius, Regni causâ violandum est.*



men  
olo-  
diffi-  
atos  
ntia,  
quis  
uem  
a le-  
père,  
cère.  
ci ne-  
i illic  
fful-  
vore  
atam  
c fuc-  
fortè  
assim  
er in-  
si oc-  
Polo-  
iteri:  
nt, se  
o vo-  
ous ac  
. Po-  
casio  
osum,  
pulis,  
rtaris  
agnus  
publi-  
ca

*Handwritten in blue ink:*  
a. 1177

ca. peribis occupatus. Regibus nostris vices periculis  
aut novas calamitates ubi nichil aliud sed videretur  
& iustitiam est proverbum. pro. iustitiam Regem ex. iustitiam  
etiam occasione faceret. Nec tunc Regem dignum. quod pariter  
iustitiam facit iustitiam. Regem ergo & Carolo Gustavo  
dignum est. & quod non nisi a Regibus usurpatis merita sunt.

Si violandum est ius, Regni causa violandum est.



*Handwritten in blue ink:*  
MC

*Handwritten in blue ink:*  
1077





R.N.  
81,  
30.


C  
(X190 4031)

CAR

S  
Sere

JOAN  
RE

SUEC  
BREV



AVUS

EX  
ominum

MIRUM  
ONIAE

TARIUM  
itetur

NARES



1656

